TERTIA SYNODUS PISANA.

TERTIA SYNODUS DIOECESANA

AB ILLUSTRISS. AC REVERENDISS. DOMINO

D. FRANCISCO

FROSINI PISTORIENSE

S. R. I. COMITE, ARCHIEPISCOPO PISANO
INSULARUM CORSICÆ, AC SARDINIÆ PRIMATE,
ET IN EIS LEGATO NATO.

HABITA IN ECCLESIA PRIMATIALI PISANA
Diebus XXXI. Mensis Julij, & I. Augusti.
Anno Salutis M. DCC. XXVI.



PISIS, M. DCC. XXVIII.
Ex Typographia Francisci Bindi Impress. Archiepiscopalis.

FRANCISCUS

DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

ARCHIEPISCOPUS PISANUS

Insularum Corsicæ, & Sardiniæ Primas,
& in eis Legatus Natus.

Venerabilibus Fratribus Canonicis, & Capitulo Nostræ Primatialis Ecclesiæ, omnibusque Parochis, & Clero universo Pisanæ Diœcesis.

Misericordia vobis, & pax, & Charitas adimpleatur.
Jud. Epist. Vers. 2.

GRande non minus, quàm arduũ opus, ad quod Nos Æternus Princeps Pastorum assumpsit Oves sibi pascendi, pro quibus posuit animam suam, Venerabiles Fratres, Filij dilectissimi, exposcit, ut, tum ad emendanda præterita, tum ad stabilienda futura, præter ea, quæ in alijs duabus præcedentibus Synodis statuta fuerunt, hæc quoque, in hac Tertiâ Nostrâ Synodo, Vobis ipsis ala-

alacri aſſentientibus animo, adjungerentur. Non enim ſemel ſatis eſt, non ſatis eſt bis, expedit etiam tertio aliquid â vobis, ad illud dignè adimplendum, exigere. Exemplum ipſius Domini habemus, qui non ſemel, non bis contentus fuit petijſſe â Petro teſtimonium amoris, verum etiam tertio interrogavit, an eum amaret, antequam illi ad Cœlũ reverſurus, paſcendas in Terris Oues ſuas committeret. Intelligite Dilectiſſimi. Ex hoc, quod benignus, & miſericors Dominus noluit, poſtquam Crucem pro Ovibus ſuis, propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuerat, eaſdem credere Petro, niſi ſe ab ipſo, plusquam ab alijs diligi, audierit, nobis quodammodo innui videtur, nil aliud curæ illi magis eſſe, ſicuti piâ ponderavit meditatione Clemens Alexandrinus, quam ut homines (ad quod opus ex hominibus aſſumpti fuimus), ſalvi fierent. Datur item inferri, quod ſicut nil tam gratum, nil tam acceptum Deo eſſe poteſt, quemadmodum Sanctus Martyr Juſtinus,

nus, Divinam & ipse animo contemplans bonitatem, consideravit, quam si pro viribus operam dederimus, ut homines meliores efficiantur, ita nec rei alicujus strictiùs rationem est à nobis in Judicio exacturus, quam si oves, ad quas dispersas congregandas, ac proprio sanguine redimendas venit è Cœlo, nostrâ culpâ, vel incuriâ perierint: Qua de re, per Prophetam Ezechielem, apertissimè se declaravit.

Quamobrem, ne ob ignorantiam debiti muneris nostri in re tam gravi oscitantes miseri hallucinemur, Divus Bernardus seriò animo cogitandum proponit, hac trinâ Petri interrogatione, non solum Charitatem à nobis exposci, sed illud etiam nos præterea moneri, tribus diversi generis pabulis Oves nostræ fidei concreditas, esse pascendas, oratione nimirum, exhortatione, & exemplo, perinde ac si, Pasce mente, pasce ore, pasce opere *unicuique Nostrum diceretur.*

Cum

Cum igitur hoc ſit, Dilectiſſimi, officium noſtrum, ad id quoque omnia maximè tendunt tam præterita, quam nova hæc Noſtra Synodalia Decreta: ad hoc Summorum Pontificum Conſtitutiones, ad hoc demum Sacrarum Congregationum Declarationes: quas quidem in primâ, ſecundâ, & tertiâ Synodo, velut in uno volumine in tres partes diſtributo, collectas, eo conſilio antè oculos veſtros ponimus, ut quæ continent, attento animo frequenter legatis, memoriæ diligenter mandetis, eàque, quà par eſt curâ opportunè exequamini. Agat proinde, Dilectiſſimi, unuſquiſque Veſtrum, quod Joſue Deus impoſuit, dum illi, poſt Moyſis mortem, Populum ſuum regendum tradidit: Non recedat, *inquit*, volumen Legis hujus ab ore tuo, ſed meditaberis in eo, diebus, ac noctibus, ut cuſtodias, & facias omnia, quæ in eo ſcripta ſunt: (a) *Memores, inter mala, quæ poſtmodum eidem Populo Deus*

per

(a) Joſ. cap. 1. n. 8.

per Prophetā minatus fuit, unum illud esse, quod, Sacerdotibus legem non observantibus, Lex peribit â *S*acerdote, & Consilium â Senioribus. *Quod, Divinâ adjuvante misericordiâ, minime dolendum erit evenisse, si quæ paternus amor Noster dictavit, Vestra impleverit, ut speramus, dilectio*. Et Deus Pacis, & Dilectionis Vobiscū sit.

ORA-

[illegible]

ORATIO

AD SYNODUM

HABITA A DOMINO

JOSEPHO MARIA

RUSCHI

Primatialis Ecclesiæ Canonico.

ET IN ACADEMIA PISANA

SACRORUM CANONUM PROFESSORE.

Quotiès mihi venit in mentem, Antistes Illustrissime, & Reverendissime, Patres Amplissimi, apicem illum humanæ sapientiæ Platonem (a) *semèl interrogatum quænam loca mortalibus essent adeunda, ea respondisse, ad quæ Viri Præstantissimi, sapientissimique de religione servanda, & in dies magìs, ac magìs augendà aliquid decernendo, & statuendo sedulò convenirent, totiès insolito quodam gaudio gestire, incredibilemque animo concipere voluptatem cogor, dum sacri hujus, venerandique cætus majestatem, amplitudinemque contemplor,*

† plor,

(a) Lib. 31. de Rep.

plor, dum vos omnes hùc convenisse animadverto, non ut de privatis commodis, propriisque focis, ac laribus; sed ut de religione conservandà, & amplificandà, de Dei Optimi Maximi honore, gloriàque, strenuè, ac viriliter agatis; dum vestras omnes cogitationes mentesque in hoc uno esse defixas intelligo, ut veteris severitas disciplinæ, ac morum integritas, ut Cleri dignitas, & majestas ad pristinum splendorem, existimationemque revocetur. Enim verò licèt nostri amantissimus, ac studiosissimus Pastor ab Ecclesià sibi commissa intentos numquàm oculos revolvens, nihil habuerit antiquius, usitatiùs nihil, quàm ut Episcopali bis indicto Concilio vepres omnes, ac tribulos in vineà Domini succrescentes radicitùs evelleret, atque extirparet, eamque ad frugem uberrimæ fertilitatis adduceret; nihil tamèn aptius, & moribus reformandis, & Ecclesiasticæ instaurandæ disciplinæ accomodatius ab eo fieri umquàm potuisse crediderim, quàm eo tempore, quo Sanctissimus, & cumulatissimà pietatis, justitiæ, reliquarumque virtutum eximià planeque singulari supellectile ditissimus Pontifex e Romanà specula salutare, expectatumque Concilij signum erexit, hunc in locum vos tertio cogere; omnemque operam, ac studium in Ecclesiam, in ipsum Deum Optimum Maximum referre, omniaque sua consilia, ad consilium Sanctissimi Pontificis accommodare. Ego vero A. A. cui neque castus, neque ab omni prorsùs contagione animus purus est, quid in medium afferre possum, quod non longè sit ab hujus loci sanctitate, majestateque remotum? Nàm ut in texendis coronis non satis est puros esse flores, nisi puræ sint & manus eas contexentes, sic & in Oratione, quæ in hoc ipso sanctitatis Domicilio habenda est, casta non solùm oportet esse verba, sed animum quoque ea fingentem, atque formantem. Hujus idcircò rei tractandæ magnitudo, quæ eximium quoddam, dignum, sublime, inusitatum, & prope dixerim divinum orationis genus desiderat, me dicere incipientem deterret, & quam initio cœperam animo voluptatem, eam ipsam in mœrorem, ægritudinemque convertit.

Theo-

Theophrastus (b) Peripateticorũ sapientissimus, ac facilè Princeps, qui teste Tullio (c) loquendi nitore nominis divinitatem est assequutus, cum ad Athenienſem Populum ob ejus famæ præstantiam undequaque convocatum, esset verba facturus, fertur obticuisse. Hujus ego hodierna die vestigijs insisterem, nisi maximam dedecoris mihi notam inurendam fore intelligerem demandatæ provinciæ onus d trectanti, nisi expectationẽ vestram fraudare, et quodammodo spernere, ac ludificare viderer. Quamobrem etsi mihi sit valde pertimescendum, attamèn jacienda alea est, eoque alacriùs jacienda, cum nihil corruptum, nihil perversum, nihil quod religionis decòri adversetur, in vobis deprehendi posse animadvertam: Optimi ergò Imperatoris pro mearum virium tenuitate munus exequar, qui licet militum animos ad pugnam inflammatos conspiciat, eis tamen ardentiores spiritus subdere adhortando non desinit; sic ego vobis rectam virtutis viam sponte vestrà currentibus stimulos admovere non dubitabo, & quantum potero maximè vos ego cohortari, atque incitare nitar; ità enim fiet, ut vestri ordinis, dignitatisque semper memores vitam honestissimam, integerrimam, singularique pietate refertissimã traducatis, Cum enim ex his fontibus vigilantia, sedulitas, industriaque non vulgaris proficiscatur, omni prorsùs hæsitatione remotà sperare licet animarum incolumitatem gregi vobis commisso harum virtutum præsidijs vos esse allaturos. Quas ego partes dum implere conor, Te Deus Optime Maxime totius intelligentiæ Pater, sine cujus auxilio nihil possumus auspicari, oro, obtestorque, ut mihi digna hujus auctoritate loci, digna rei gravitate contingat Oratio.

Non minùs graviter, quã sapienter ajebat Marcus Tullius, (d) unanimi consensione a præstantissimis viris statutum fuisse, omnes homines ad honestatem natos esse, eamque aut solam expetendam, aut certe omni pondere, & æstimatione graviorem habendam, quàm reliqua omnia, ideòque necessariò, quod hones-

---

(b) Aulus Gellius noct. atticar. lib. 8 cap. 8. (c) lib. de Claris Orato. qui dicitur Brutus. (d) Lib. 3. Officiorum.

honestum est amplectendū, quod verò turpe, atque inhonestū omninò vitandum. Si honestas igitùr tamquàm summum bonum expetenda; si quidquid turpe est, toto animi impetu fugiendū, vos ipsi PP. AA., judicatote quantà ope niti deceat, ut mores vestros ad honestæ vitæ rationem componatis, quibus & studeatis præstare cæteris, eosque ad pietatem, Deique cultum excitare. Postulat enim hoc vestra dignitas, quæ talis, ac tanta est, ut quolibet mortali celsior fastigio, ipsos Reges, ac terrarum Principes, & Moderatores longissimo intervallo antestare facile videatur. Habent quidem terrarum Principes summam, excelsamque ligandi, solvendique potestatem, sed eam habent in hominum vitā, fluxam, miseram, ac citò interituram, at vestra planè divina vis, atque facultas ea est, ut immortales quoquè animos mirà quadam, et incredibili penè virtute, pertingat & mortales omnes fines prætergressa Cœlum ipsum ingrediatur, & cum ipsomet Deo imperium ferè dividat, ejusque judicium præveniat, & antevertat. Quos enim sententijs vestris absolvitis, vel damnatis, absolvit, & damnat, & quidquid pęnarum in scelera, & crimina statuitis, id omne firmum, ratumque immensa ejus bonitas habet, nulloque patitur aspectu mutari.

Mira sunt hæc profectò AA., & quæ omnium, qui audiunt, mentes in maximam illicò admirationem traducant, sed multò præstantiora, & excellentiora spectanda adhùc sunt. Nonne vos estis, qui Dei Optimi, Maximique Parentis expressiorem quamdam induistis imaginem? Imaginem, quæ a communi hominum cætu, & societate distinctos, ac segregatos inter gentem sanctam, genus electum, populum ad numerum Beatorum propagandū destinatum, vos inter Cœlites, ac Deos quodammodo refert? Nonnè vos estis, qui omnium beatissimarum, & cœlestium mentium agminibus, omnibus Angelicis ordinibus multò præstantiores, excelsioresque, brevissimo verborum circuitu humani generis Reparatorē Christum Jesum, rerum omnium sapientissimū, Opificē, Effectorem, ac Dominū in terras evocatis, sistitis in aris, manibus tenetis, et undequaque circumfertis? Nonne vos estis, quorum imperia, atque nutus circumscribunt, & coer-

& coercent angustissimis spatijs immensam illam majestatem, quam summus, & ingens Cœli ambitus non capit, non amplectitur, non vinctã habet, neque ulla potestate, ulla vi potest habere? Quì igitur mihi temperare adeò possim, quin admiratione propè obstupefactus exclamem? O excelsam, & divinam, ad quam evecti estis, vestri muneris dignitatem! O maxime efficacem vestrorũ verborum vim, & inauditum imperium! O sacras, venerandasque cæremonias e Cœlo delapsas, vestroque nomini commendatas! O immensam, & incomprehensibilẽ, ipsique penè dixerim Deo affinem, & conterminam potestatem! Fuerint apud Romanos, fuerint apud exteras etiã Nationes summo loco Sacerdotes, in quibus unà cum Sacerdotij dignitate potestatem quoque Imperij perpetuo consociatam, nec unquam à dignitate illa disiunctã gravissimi Scriptores posterorum memoriæ literis prodiderunt. Rex Anius, inquit Virgilius (d)

Rex Anius, Rex idem hominum, Phæbique Sacerdos
Vittis, & sacrà redimitus tempora lauro:
Occurrit.

Fuerit apud Æthiopes, fuerit apud Persas summa Sacerdotibus potestas, quà omnẽ administraverint, ac gesserint Rempublicam, quà de controversijs publicis, privatisque, de capite, fortunisque decreverint, sed non usquè eo deveniant audaciæ, ut suam cum vestrà auctoritatem conferre minimè vereantur. Illi enìm terrena, vos cœlestia, illi fluxas, & momentaneas, vos stabiles, & sempiternas opes pertractatis. Verùm quò illustrior est vestri nominis splendor, & majestas, eò ab omni labe puriores, omnique virtutum genere præstantiores sitis necesse est, ut tantum cæteros magnitudine meritorum, quantum gradu, dignitateque antecellatis. Quà enim de causà arbitramini vos ad tam sublime fastigium elatos, vos constitutos salem terræ, lucem mundi, civitates supra montes, nisi ut honestæ vitæ exemplis animos, veluti sale condiretis, & errorum tenebris offusas, obductasque mentes illustraretis; ut cœlestis Jerusalem formam, atque imaginem exhiberetis, ad quam reliqui

†† *homi-*

(d) Lib. 3. Æneid.

homines vitam suam componerent, & conformarent, & quoad ejus fieri potest, in se ipsis exprimerent? Quemadmodum enim Solem reliqua sydera respiciunt, ut clarissimam ab eo lucem mutuentur, ita in vos omnium oculi, atque ora conversa sunt; Vos solos contemplantur, ut splendorem à vobis rectè factorum claritate haurire, ut lumen præclarissimum, veluti minora sydera a planetarum Principe possint fœnerari. Compertum verò atque exploratum est, sale sublato insulsas epulas nihil sapere; extinctà luce tenebras exoriri; ruente civitate omnia miserabili excidio corruere, ac in eamdẽ trahi ruinam. Hoc autèm tunc fit, cum ij, quorum est aliorum animos ad omnem sapientiam eà, quà par est peculiari curà informare, & quasi de suo lumine, lumen in aliorum mentes diffundere, aut non solida docent, sed stulti cum sint, fatua loquuntur, (e) aut non ita, ut loquuntur, vivunt; Prædicant enim Christum in deserto jejunantem, sed Epicurum splendide in hortis cœnantẽ imitantur; Curios (f) commendant, ipsi bacchanalia vivunt; virtutes extollunt, & in omnẽ ipsi turpitudinem, in omne flagitium maximo cum animarũ detrimento præcipites feruntur. Memoriæ proditum est, (g) virum quemdam vitijs, ac voluptatibus diffluentem, cum in Spartanorum conventu sententiam suam apprimè sapienter protulisset, ludibrio, ac despectui habitum, minus enim senatus gravitatem decere apud omnes judicatum, ab illaudatæ vitæ homine consilium cepisse, licet salutare. Haud aliter eorum doctrina Sacerdotum irridetur, contemnitur, reijcitur, qui voluptuariam vitam consectantes, alios monere, corrigere, & in officio nituntur continere; alios a vitijs abducere, atque ad virtutis semitam revocare conantur. Etenim quà fronte, quà libertate alios reprehendent, si ijsdem [flere magis expediret, quam loqui] si ijsdem, inquam, aut gravioribus fortase flagitijs sint obnoxij, si vitia subditorum incendant, denique morbo vitiorum, ut aiebat Seneca, (h) exemplo suo excusatam adeo licentiam, ut summo cum

eorum

(e) Isaias Cap. 32. (f) Juvenalis saty. 3. (g) Paulus Manutius Lib. 1. Apopht. (h) Seneca de vita beata Cap. 26.

eorum nominis dedecore alius ludat alea; alius ebrietati, & crapulæ in hilgeat; indulgeat libidini, fœdisque voluptatibus. Verum cum neminem in hoc gravissimo, sanctissimoque vestrùm consessu adesse intelligam, cujus summam & clericali ordini consonam honestatem, & innocentiam, nec non conjunctam cum pietate sapientiam non admirer; gratulandum vobis omnibus mihi esse video, quòd nullo vitiorũ æstu, nullisque pravarum cupiditatũ illecebris de rectâ viâ abducti innocuam, sanctamque vitam ab omni contagione puram traducatis; & ita traducatis, ut ne improborum quidem malè dicendi libido, nec invidorum obtrectandi licentia, quid carpere in vobis possit, inveniat. Quantum enim cæteri ad comparandos honores, fortunasque cumulandas; quantum ad otiosos dies in delicijs conterendos; quantum ad ipsam animi, corporisque requiem temporis concedunt; tantum vos, vel in sacris evolvendis, lectitandisque libris, vel rebus cœlestibus cogitandis, vel pietatis operibus exercendis sedulò attentèque impenditis: Gaudeo itaque, ac summoperè gaudeo, quòd dignitatem vestram nobilissimam perpendentes ad omnem continentiam, severitatemque animum vestrum conformetis, quòd sanctissimæ vitę exemplis populum ad cœlestem appetendam, consequendamque æternæ felicitatis gloriam naturali quadam vi, atque impetu excitetis. At quia demum homines sumus, & nihil humani ita a nobis alienum esse putandum est, ut de omni prorsùs casu, lapsuque securi simus, adeoque fieri facile posfit, ut aliquid de veteri severitate disciplinæ longo temporis intervallo remissum sit; necessarium arbitror, & opportunum hortari vos, & admotis veluti stimulis impellere, ut quidquid in moribus expoliendis, ac reformandis fortasse peccatum est, emendatiore vita sarciatis; ut novi temporis accessione anteacti etiam temporis negligentiam diligentiâ operosiore compensetis, animumque vestrum majore curâ, atque studio excolatis. Quemadmodum enim terra licet suaptè natura fæcunda sit, & maximè fructuosa, nisi a navo, & industrio agricola exerceatur, non diù desideratam, expectatamque messem, sed infelix lolium, sterilesque

ave-

avenas produceret; ita animus noster nisi optimis, honestissimisque præceptis, ac disciplinis excolatur, voluptatibus, quæ sunt malorum omnium esca, miserrimè inquinabitur.

Quoniam vero non nobis dumtaxàt; sed cæteris etiàm consulendũ: in mentem vobis veniat Majorum nostrorum vigilantia, qui omni virtutum genere cumulatissimi superioribus seculis floruere, quique ut aliis adjumento essent, omnem operam, omnemque industriam cùm docendo, tùm agendo, impenderunt, & ut populos sibi commissos, creditosque, ab errorum tenebris ad lucem veritatis; a turpitudine vitæ ad honestatẽ morum; ab æternis suppliciis ad immortale præmium traducerent; somno vigilias, temperantiam saturitati, laborem quieti felicitèr ac strenuè anteposuerunt. Neque verò id tantùm ab illis effectum est; quòd gratius aliquid Deo, sibique aut utilius; aut gloriosius facturos arbitrarentur, sed potiùs quòd suæ dignitatis memores, suique non minùs ordinis, quàm muneris conscientia, ad idem se quàm maximè devinctos esse senserunt, adeo ut si per eorum incuriam, vel inertiam æterna cujuspiam salus in extremũ discrimen adduceretur, in illud statim se quoquè adductòs esse judicarent. Hoc, quod illi suo statui iniunctum onus, veluti divinæ servitutis insigne quoddam auctoramentum agnoverunt, nos etiam quotquot sacris operamur, obstringimur. Cum enim sanctum hoc Superis acceptissimum, inferis vero metuendum institutum auspicatò fuimus amplexati, tùm nos ipsi cum Deo pactionem quamdam fecimus, ut quanta nobis dignitatis facta esset accessio, tantus ad honestatem vitæ virtutum cumulus accederet, quibus non modo bonis exemplo præire, & ad Sanctissima quæque facem quodammodo præferre oporteret; verum etiam malis, quà monitis, quà precibus, quà severioribus etiam verbis auxilio esse niteremur. Iam vero cum hæ sint vestra, nostræque partes, ac perpetuus ille humani generis prædo, & acerrimus hostis, leonis rugientis instar semper circumeat, semper exploret, semper insidias moliatur, ut oves vobis commissas, & non auro, argentoque, sed immensis sudoribus, sævissimis cruciatibus, pretiosissimoque Servatoris

toris

toris nostri sanguine redemptas, immanitèr devoret, huic vos omni conatu, viribus omnibus resistatis necesse est, ne irrumpat per ovile, perque illud cum semel irruperit, grassetur, ac necet. Si quas verò fortassè oves palantes, atque ex ejus crudelibus faucibus ereptas inveneritis, vestrum erit ad Christi gregem humeris superimpositas patientèr, mansuetèque reportare; tabe confectas salubri medicina levare, fame, sitique laborantes, potu, ciboque sustentare; ne vobis oscitantibus, quod ait Dominus per Prophetam Pastoribus Israel, obiiciatur (l) Quod si misero, diuturnoque morbo conflictatos erigere, iisque opem ferre, corporisque incolumitati consulere magnæ pietatis est, nonnè multò majoris erit ægrotantibus animis opitulari, eosque ad integritatem, innocentiamque revocare? Quod tantò præstantius est, quantò animus corpore est excellentior, quantoque æternitas à rebus omnibus fluxis, caducisque longissimo distat intervallo. Tanta est enim nobilitas, tam insigne pretium, tam magna animarum æstimatio, ut pro his tuendis, conservandisque; tot tantaque ærumnarum genera; tot exquisitæ pœnæ a Sanctissimis, gloriosissimisque viris fuerint patientissimè, mirisque modis toleratæ. Sed quid ego minora commemoro? cum eas ab exitio, meritàque supplicij pœnà vindicaturus descenderit in terras Deus, se titulis omnibus, atque honoris ornamentis exuerit; dedecus, & ignominiã; mortem denique forti, constantique animo subierit acerbissimam? Hoc igitur vobis omnibus persuasum esse, oportet, firmum atque immutabile; nullũ gravius damnũ, nullũ exitiosius malũ; acerbiorem calamitatem nullam harum amissione, & jacturà evenire umquàm posse. Quamobrem nihil est a vobis, quos tamquam lapidès vivos in Ecclesiæ structurà sapientissimus Architectus collocavit, quos Pastores, & speculatores constituit, nihil, inquam, est a vobis majore diligentià, & studio, quàm ne id negligentià, desidiàque vestrà contingat, præcavendum. Hoc siquidèm divinæ beneficentiæ, charitatisque in mortale hominum genus magnitudo; hoc in vos collata beneficia, & ornamenta; hoc vestrum munus; hoc

††† reli

(l) Ezech. cap. 34.

religio; hoc tandem amplissima, quæ vobis in Cœlo proposita sunt præmia a vobis quodammodo petunt, unoque ore videntur flagitare. Summâ apud omnes laude celebratur nobilissimus adolescens Curtius (m); celebratur Themistocles (n); quorum alter, ut Patria redderetur incolumis, in vastissimum terræ hiatum præcipitem se se dedit; alter verò, ut ab ea oppugnanda, sicuti ab Artaxerse jubebatur, abstineret, hausto taurino sanguine, ante ipsam instituti sacrificij aram quasi quædam pietatis clara victima concidit. At quânam ratione (amàbo vos) profanos hosce Heroas ductos fuisse arbitramini, ut æquo animo se morti devoverent? nullâ aliâ crediderim, quã ut caducam, ac fragilem hujusce seculi gloriam, mortui quoque viderentur assequuti. Et vos, quibus immortalis gloriæ secura merces, Cœlumque perpetuæ domicilium felicitatis promittitur; ubi cum Deo bonorum omnium, & gaudiorum Largitore, cumque ejus Cœlitibus præclarissimis, beato, & sempiterno ævo perfruemini, vos, inquam, a quibus isthæc veluti tot nominibus debita cura, & munus officij repetenda sunt, pro animarum incolumitate procurandâ vigilare, laborare, insudare, omnes cruciatus corporis, ærumnas, incomoda pati, cum humani generis hoste colluctari, gloriosissimisque obviam ire triumphis dubitabitis? Sed quorsum hæc? quorsum? ut intelligatis, non alio consilio hæc a me dici, nisi ut vos toto pectoris æstu in animarum salutem, & bonum incumbentes, acriùs, & vehementiùs extimulẽ, inflammem, incendam, non secùs ac generosi incenduntur equi e carceribus emissi manibus obstrepentium, & clamoribus ad cursum velociùs absolvendum incitantur. Eja igitùr urgete propositum; viam, quam instituistis, totis viribus percurrite, & ad eam conficiendam absolutissimũ sanctitatis, omniumque virtutũ exemplar Pastorem nostrũ intuemini; Huius vigilantiam, & pietatis confirmandæ, religionisque tuendæ, & amplificandæ studium, quantum in vobis est, imitemini; Huius vestigiis insistite; Huius saluberrimas leges tamquam Dei digito exaratas custodite, promptisque animis observate.

(m) Livius Decad. 1. lib. 7. [n] Plutarchus in vita Themistocl.

servate. Quod si, ut spero, fiet, & nobilissimus vester ordo, & divini Numinis cultus, & orthodoxæ religionis decus, et ornamentum in immensum excrescet, omnesque etiam barbaræ Gentes, & efferati Populi admirabuntur.

INDICTIO TERTIÆ SYNODI DIOECESANÆ.

FRANCISCUS

Omnipotentis Dei, & Sanctæ Sedis Apostolicæ Gratiâ, Archiepiscopus Pisarum, Insularum Corsicæ, & Sardiniæ Primas, & in eis dictæ Sedis Apostolicæ Legatus Natus, Prælatus Domesticus, & Pontificij Solij Episcopus Assistens.

PAstoralis sollicitudinis gravissimũ onus, quod nostrarum virium imbecillitatem obliti, nimis confidenter suscepimus, ad novam indicendã Synodum maximè promit, & urget: ut antequam Pastor æternus, hujus amplissimi Gregis Nostræ custodiæ commissi rationem à Nobis exigat (quam ob ingravescentem ætatem brevi sumus reddituri) quæ ad abusus, qui forsan ab ultimâ Nostrâ Synodo irrepserint, removendos, ad controversias sedandas, ad tepidorum socordiam excitandam, quæ ad morum emendationem, ad Disciplinam Ecclesiasticam conservandam, necessaria judicabuntur, Vobis ipsis coadiuvantibus, divinâ afflante gratiâ, statuamus. Cum enim Vita Nostra omnibus ad imitandum sit in exemplar proposita, dicente unicuique Nostrûm Apostolo: *Exemplum esto Fidelium*; oportet, ac opus est primùm docere Nosipsos, ut alios doceamus, primùm ea, in quibus, ob communem hujus generis fragilitatẽ, deficimus, emendare, ut defectus corrigamus alienos: ne dum alijs

salutaria vivendi præcepta damus, quæ Nobis a Sacris Canonibus injunguntur, negligentes, ea, quæ dicimus, repugnantibus factis, evacuemus. Quamobrem, cum ad hæc multum conferat frequens Synodorum congregatio, quæ ad componendos Cleri, & Populi mores, Sacrorũ Canonum jure, Sacrique Concilij Tridentini auctoritate graviter Nobis injungitur; Nos hisce Nostris Literis novam Synodum, die trigesimo primo proximi Mensis Julij in Ecclesiâ Nostrâ Primatiali celebrandã, indicimus, & denunciamus.

Omnes igitur, & singulos, Dignitates, Canonicos, & Clerum Ecclesiæ Primatialis Pisanæ, necnon Præpositum, Dignitates, Canonicos, cæterosque Beneficiatos Insignis Ecclesiæ Collegiatæ Liburni; Similiter Plebanos, Præpositos, Archipresbyteros, Priores, Parochos, Vicarios perpetuos, seu temporales, Ecclesiarumque curam habentium Rectores etiam exemptos, quocumque nomine nuncupentur; nec nón reliquos Beneficiatos, & Clericos universos, qui quovis jure, vel consuetudine Nostræ Diœcesanæ Synodo intervenire tenentur, monemus in Domino, ijsdemque omnibus, & singulis in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœnis Sacrorum Canonum jure statutis, & alijs arbitrio Nostro infligendis, præcipimus, ut, supradicto die trigesimo primo proximi Mensis Julij (quem diem pro inchoandâ, & celebrandâ Synodo certum, ne cuiquã vel rei ignorantiâ ad excusationem uti, vel se contemptum, neglectumve esse dicere liceat, constituimus, & designamus) cum clericali habitu, alijsque indumentis, ac insignibus eorum Beneficiorum, & Ecclesiarum proprijs, cujusque Dignitati, ac muneri congruentibus, primo mane, in Ecclesiâ Primatiali conveniant per se ipsos, nisi forte legitimâ causâ, à Nobis approbandâ, impediantur, nec inde, cum convenerint, sub eisdem pœnis, nisi completâ Synodo, aut licentiâ a Nobis, seu Nostro Vicarjo Generali impetrandâ, discedant.

Interim omnes & singuli habentes, quod eorum conscientiæ, providoque judicio proponendum videatur, cui consulere, ac providere in Synodo celebrandâ necessarium existiment, id Ecclesiásticâ libertate ad Nos, seu Vicarium Nostrum Generalem quamprimum deferant, ut quod visum fuerit expedire, divinâ adjutrice gratiâ, decernere valeamus.

Con-

Constitutâ igitur die venite omnes alacri animo. Hæc enim, quæ vobis monstratur, est via, in qua dirigens gressus vestros ponet Dominus Legē suam. Accedentes verò non minus habitum decentem, quàm modestiā induite, & ad eam sensus, sermones, & actus vestros componite, ut ab illà, quam suscepistis, muneris dignitate non discrepetis, & non tam animos loquendo, quàm oculos spectatorum tacendo erudiatis.

Antequam tamen Parochi iter inscepturi, ex eorum Parecijs discedant, ne, hoc licèt brevi tempore, ex illorum absentiâ Populus aliquod spirituale detrimentum patiatur, sollicitâ charitate diligenter inquirant, siquos ægrotos habeant, eosque quamvis non requisiti visitent, vicinisque Sacerdotibus etiam Regularibus commendent, & cum non habeant quibus commendentur, Nos consulant, ut providere possimus.

Ut verò tertia Synodalis hæc Actio, Deo adjuvante, pro illius Gloria, Nostraque Diœcesis salutari Regimine feliciter succedat, effundamus omnes coram eo corda nostra, eumque suppliciter deprecemur, ut effundat super nos de Spiritu suo, cujus Lumine adjuti videamus quæ recta sunt, & quæ ad nostram, nostrique amatissimi Gregis salutem pertinent, illique placita sunt, agamus.

Ad hoc obtinendū, privatis precibus publicas etiam addentes, prçter eas, quas peculiaribus Nostris præmonitionibus indicemus, Sacerdotes omnes, post indictç hujus Synodi promulgationē, quoad ipsa absoluta, & dimissa erit, Collectā in Missâ dicant de Spiritu Sancto, & singuli Parochi Dominica die 29. Julij, Synodum præcurrente, ante Missam Parochialem Litanias Sanctorū cum precibus recitent, Populumque ad implorandum Nobis divinum auxilium, cum res communis agatur, hortentur.

In quarum rerum fidem has Literas, Nostrâ, Nostrique Cancellarij manu subscriptas confici, publicarique mandamus.

Datum Pisis ex Palatio Nostro Archiepiscopali apud Sanctum Matthæum die 20. Junij 1726. Stylo Pisano.

FRANCISCUS ARCHIEPISCOPUS PISARUM.

Alexander de Salvettis Cancell. Gener. Archiepisc.

INDEX

INDEX

Capitum, & Constitutionum, ac Decretorum, quę in Additionibus hujus Tertiæ Synodi continentur.

INDEX CAPITUM

DE Fidei Cultu, & Professione. Pag. 1.
De Doctrinâ Christianâ. 3.
De Prædicatione Verbi Dei. 4.
De Judæis. 6.
De Sacram., eorumque administratione ibid.
De Sacramento Baptismi. 7.
De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento. 9.
De Sacrificio Missæ. 10.
De Sacramento Pœnitentiæ. 14.
De Sacramento Ordinis. 15.
De Sacramento Matrimonij. 16.
De Festorum Observatione. 17.
De Indulgentijs. 18.
De Sacrosanctis Ecclesijs. 20.
De Funeribus, & Exequijs. 21.
De Bonorum Ecclesiasticorum Inventario. 22.
De Vita, & Honestate Clericorum. ibid.
De Parochis. 23.
De Sodalitatibus Laicorum. 25.
De Fructibus Beneficiorum Vacantium. 26.
De Constitutionibus Synodalibus. 27.
Judices Synodales. 29.
Examinatores Synodales. ibid.
Testes Synodales. 31.
Pœnitentiarij. 32.
Deputati pro Doctrinâ Christianâ. ibid.
Deputati pro Oneribus Missarum. 33.
Deputati super Seminario. ibid.
Promotor Synodi. ibid.

INDEX

TERTIA SYNODUS PISANA

Nova continens additamenta alijs Constitutionibus Synodalibus in Prima, & Secunda Synodo editis.

AD CAPUT I.

De Fidei Cultu, & Professione.

CUm hęc Nostra Synodalis Actio ad ea maximè tendat, quibus divinus cultus augeri, pietas excitari, Animarum salus valeat promoveri; æquum est, ut à Fide sumat initium, quam Devotionis principium, Religionis fundamentũ Divus vocat Chrysostomus [a]

(a) Serm. de Fid. Spe, & Charit.

Ab eâ igitur incipientes, omnes stantes in eodem spiritu, Fidem, quam Sancta Ecclesia Romana, omnium Ecclesiarum Mater, & Magistra profitetur, & colit, unanimes, & puro corde profiteamur, & Romano Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis

ſucceſsori, ac Jeſu Chriſti Vicario veram ſpondeamus, & juremus Obedientiam.

Et ne inſignis hæc Diœceſis ullo unquam tempore aliquâ afficiatur maculâ, & rugâ (*b*), ſed ſanctam, & immaculatam ſe cuſtodiat, fidemque ſervet, quam ab ipsâ naſcente Eccleſia ſemper profeſsa fuit; Primum omnes, & ſinguli, qui ut fuit in primâ Noſtrâ Synodo (*c*) ſtatutum, Fidei profeſſionem facere tenentur, indiſpenſabiliter illam faciant, nullâque ratione prætextu, vel quæſito colore audeant prætermittere.

Deinde Conſtitutiones Apoſtolicæ venerabiliter ſuſcipiantur, & cuſtodiantur, tamquam Divi Petri voce firmatę [*d*]; ac proinde Conſtitutionē ***Unigenitus*** ſanctæ memoriæ Clementis XI., quæ poſt noſtram ſecundam Synodum (*e*) habetur, & quam debitâ, ac *filiali* veneratione, & obedientiâ Suſcipientes, ab omnibus, & ſingulis Noſtræ Diœceſis recipi, & venerari mandavimus, novo hoc Noſtro Synodali Decreto ad mentem Sanctiſſimi Domini Noſtri Benedicti XIII. paternâ, & indefeſsâ ſolliciti vigilantiâ, ne Propoſitiones in eâ damnatæ, quæ fallaci, & fraudulentâ pietatis ſpecie prava dogmata latenter inſinuant, mentes incautas depravent, & innocentium corda ſeducant; iterum eam omnibus, & ſingulis venerandam, & obſervandam indicimus, ſub eiſdem declarationibus, Cenſuris, & pœnis, quæ in dictâ Conſtitutione *Unigenitus*, & in Secundâ Noſtrâ Synodo continentur.

Ulterius prædictas Propoſitiones non ſolum nullus docere, aut defendere, aut de illis, tam publicè, quam privatim, etiam diſputando niſi ad eas impugnandas tractare audeat, verum etiam, nec Libros, ſeu Libellos in earum defenſionem, tam ſcriptos, quam Typis editos, ſub eiſdem pœnis legere, aut retinere, præſumat (*f*), ut ab hoc eô pernicioſiori, quô magis abſcondito pravæ doctrinę contagio, hæc noſtra Diœceſis conſervetur immunis, & ementitâ veritate non pervertatur [*g*].

(*b*) D. Paul. ad Epheſ. cap. 5. V. 27.

[*c*] Part. 1. cap. 1. §. ejus, & ſeq.

(*d*) Can. ſic omnes 2. diſt. 19.

(*e*) Addit. part. 1. ad cap. de Fidei &c:

(*f*) Conſt. Unigenitus §. mandantes, & §. eundem.

(*g*) D. Hilar. Comm. in Matth. cap. 13.

AD

AD CAPUT II.
De Doctrinâ Chriſtianâ.

EX varietate, ac diſsimilitudine ordinis in docendo, non modica ſolet difficultas exoriri addiſcendi præcepta; Quamobrem, cum multum interſit, omnes, qui ex ſuo munere, ac officio alios in his, quæ ſcitu neceſſaria ſunt ad ſalutem, inſtruere tenentur, eumdem ordinem ſervare, ex Conſtitutione Sanctæ Memoriæ Clementis VIII. *(b)*, cujus obſervantia à Sacr. Congregatione Epiſcoporum, & Regularium ſuis Literis Nobis injungitur, & efficaciter commendatur, omnibus, & ſingulis Parochis, & Eccleſiarum Curam habentium Rectoribus præcipimus, ut in poſterum Populum, & ex eo maximè rudes diligenter inſtruant, juxta methodum; & libellum piæ memoriæ Cardinalis Bellarmini, ab eodem Pontifice approbatum, quem numquam ſatis laudatum aſſiduè in manibus habeant.

[b] Conſt. Clem. 8. die 15. Julij An. Domini 1598. poſt Synod. in Addit. part. 2.

Nec non, cum deplorabile ſit, quod, multi licet à Nobis toties admoniti, ea negligant, ac non raro, quod abſit, etiam contemnant; & quod deplorabilius eſt, erubeſcant condiſcere, quæ erubeſcere deberent ignorare, ut hujuſmodi malo meliori modo, quo poteſt, provideatur, Parochis ſimiliter omnibus, & Eccleſiarum curam habentium Rectoribus injungimus, & mandamus, ut poſt actus Virtutum, quos in primâ Noſtra Synodo ſingulis diebus feſtis poſt Miſſam recitari mandavimus, recitent etiam eâdem clarâ, & intelligibili voce Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum Fidei, ut ſic repetendo, poſſint omnes, qui ea ignorant, memoriæ mandare, eodemque tempore, his precibus devotè recitatis, divinam opem implorare, & diſcendo quæ ſine peccato nequeunt ignorari, & Populi, & Parochi conſcientiæ conſulatur.

Ad hoc etiam unusquisque ex prædictis Parochis, & Rectoribus notos habeat singulos hujusmodi rudes, & ignaros, qui in suâ reperiuntur Paræciâ, eosque præsertim provectioris ætatis semel saltem in mense ad propriam domum canonicalem convocet, ubi privatim superato ruboris impedimento, ac magistrâ charitate, doceat eos omnia, quæ scire necessario debent ad æternam consequendam salutem.

Similiter frequenter legant omnia alia, quæ in duobus Nostris præcedentibus Synodis, & in Literis Pastoralibus adhuc editis injuncta illis fuerunt, & quæ etiam in hac Tertià Synodo districtim observari mandamus.

Præsertim memores sint gravissimi oneris, quo præcepto divino premuntur, divini verbi prædicatione pascendi populum sibi commissum, & ad illum salutariter pascendum brevitate, ac facilitate sermonis, videant modum, & regulam illis positam in primâ Nostrâ Synodo sub hoc eodem Tit. §. *Similiter* § *nec non illis*, & ad eam suas conciones forment, ut hoc impleant munus, quod ab eis neglectum, nullā apud Nos, magisque apud Deum excusationem habebit.

AD CAPUT III.

De Prædicatione Verbi Dei.

Sanctis Inhærentes vestigiis Divi Caroli in exemplar Pastorum propositi, nec non Nostrorum Prædecessorum in primâ Nostrâ Synodo, (*i*) Concionatoribus præcepimus, ut diurnis tantum horis, nunquā vero nocturnis conciones ad Populum haberent, sub certis pœnis in eâdem statutis. Verum, cum non sine cordis amaritudine Nobis relatum fuerit, nonnullos, spretà hac Nostrà tam salutari inhibitione, ausos nihilominus esse nocturno tempore prędicare, Nos debitâ veneratione Literis ad omnes Episcopos de mandato Sanctæ memoriæ Clementis XI. transmissis [*l*], quibus Nobis mandatur invigilare, quod ante vigesimam quartam

(*i*) Concil. 1. Prov. part. 1. de Prædic Verb. Dei §. Sacra Concio. Acta Eccl. Mediol. part. 4. Instruct. Præd. Verb Dei §. quibus tempor. vers. ne noctu Synod. Diœces. Pisan. 1. cap. 3 de Prædicat. verb. Dei part. 1.

[*l*] Liter. Circular. §. .o. post nost à prim. Synod in Addit. part. 1.

tam

tam horam omnes Ecclesiasticæ terminentur functiones, & clausæ sint Januæ Ecclesiarum; auctoritate Nostrâ ordinariâ, & quâcumque aliâ possumus, iterum graviter inhibentes omnibus Concionatoribus, ne post vigesimam quartam horam audeant in Nostra Diœcesi prædicare; & pœnas confirmantes contra Parochos, & Confratres sodalitatum id permittentes in eadem primâ Nostra Synodo statutas, [*m*], Ecclesias illas, & Oratoria, in quibus ultra vigesimam quartam horam habebitur Concio à Concionatoribus, interdicimus, & interdicto Ecclesiastico nunc pro tunc supponimus [*n*], & pro interdictis denunciari mandamus, nec non Concionatoribus id attentantibus facultatem, & approbationem, sine spe illam amplius habendi in Nostrâ Diœcesi, perpetuò revocamus.

(*m*) Part. 1. cap. 5. §. volumus.

(*n*) D.A. Lit. Circul. §. 11.

Ulterius, cum omnes Concionatores tempore Adventus Domini Nostri Jesu Christi, & Quadragesimę debeant tanquam Nostri Coadjutores, & Cooperatores in officio prædicationis prius coram Nobis se præsentare, quam hoc munus assumant monita ad illud salubrius exercendum audituri, nullus in posterum approbationem à Nobis speret obtinere, nisi coram Nobis, seu coram Vicario Nostro Generali, debito tempore se repræsentet.

Nec non unusquisque ex illis, in obsequium, & obedientiam mandatis summorum Pontificum, & præsertim Sanctæ memoriæ Innocentij XIII. debitam, (*o*) Fideles hortetur, & excitet, tam tempore Adventus, quam Quadragesimæ ad Eleemosynas elargiendas, quæ colliguntur pro Terrâ Sanctâ, præmium à Domino Nostro Jesu Christo, qui ibidem humanam redemptionem operatus est, recepturos.

(*o*) Const. incipien. Salvatoris &c. dat. sub die 21. Novem. 1721. post Synod. in Addit. par. 2.

❋ ❋ ❋

AD

AD CAPUT VI.

De Judæis.

SEriò moneant Parochi, omnemque diligentiam, quà opus erit, adhibeant, ac tam Pastores Locales, quam exteri, qui gregem pascendum in partes Nostræ Diœcesis præsertim in maritimas oras ducunt, Judæos in eorum pastoriciis tuguriis, quæ Capannas vocant, recipiant, neque in ipsis cum illis cohabitent, nec cibum sumant, (*p*) eo tempore præsertim, cum eô ad Caseum comparandum adeunt; & nisi moniti obediant, à Sacramentis in Paschate repellant, notosque nobis reddant Hebræos talia audentes, ut eorum temeritatem coerceamus, ne hujusmodi simplices, ac rudes homines Judaica perfidia suis superstitionibus, ac erroribus inficiat.

(*p*) Const. Paul. 4. la 3. §. 7. Const. S. Pij V. la 6.

AD CAPUT VII.

De Sacramentis, eorumque administratione.

SAcramenta, quæ de Cœlo venerunt, omni sunt in terris veneratione tractandâ, & Sacerdotes, qui ab eorum administratione nomen, & dignitatem recipiunt, (*q*) omnem curam, ac operam tanquam fideles mysteriorum Dei dispensatores ponere debent, ut in illis administrandis non minor cordis mundities, quam exterior cultus, & ornatus colluceat.

(*q*) Can. cleros §. Sacerdos. Dist. 21.

Videant igitur omnes Parochi, quemadmodum in primâ Nostrâ Synodo, & in visitandis Ecclesijs decrevimus, & iterum in præsenti Synodo eorum conscientias coram Deo graviter onerantes decernimus, ut vestes, Linteamina, omnisque alia Sacra supellex, nec non Vasa, quæ in singulorum administratione adhiben-

bentur, Ecclesiasticam munditiam, & decorem habeant; [r] ut populus conspiciens eorum sanctitati externa quoque respondere, ad majorem devotionem excitetur.

Curent similiter, ut Altaribus, in quibus Sacrosancto Missæ Sacrificio vivifica illa Hostia, quâ Deo Patri reconciliati sumus, per Sacerdotes quotidiè immolatur, debita ornamenta, omniaque alia ad divinum cultũ explendum, & huic tremendo mysterio, majori, quâ possumus, veneratione, celebrando necessaria non desint, nec non super iisdem Altaribus, quæ fornicem supra se non habent, & præsertim super Arcâ magnâ, in quâ Sanctissimum [s] Eucharistiæ Sacramentum servatur, etiamsi habeat, semper decens Umbella, quæ Baldacchinum comuniter dicitur, emineat.

(r) Cap. Relinqui tr. de Custod. Euch. Concil. Mediol. 1. part. 2. Tit. quæ pert. ad Celebrat. Miss. §. ornamenta.

(s) D. Carol. Concil. Mediol. 4. part. 2. Tit. de Cappell. & Altar. §. Tegmen. & in decret. Visit. Apost. §. Altare V. Tegmen. Actor. Eccl. Med. part. 3.

AD CAPUT VIII.

De Sacramento Baptismi.

Quum nulla præter Baptismum Christi salus promittatur Infantibus, & per ejus salutarem aquam à terrenis transitus fit ad Cœlestia, (t) Pastoralis à Nobis exigit solicitudo, ut duo ex eis, quæ in primâ Nostrâ Synodo decreta fuerunt, iterum vestræ religioni commendemus, vestroque muneri iterum imponamus.

Primum, ut Fons baptismalis majori munditiâ, majorique custodiatur decentiâ, eâ, quam in aliquibus visitandis Ecclesijs reperimus, & quæ pluries à Nobis commendata, adhuc tamen non modicâ cordis nostri amaritudine desideratur. Soliciti igitur sint Parochi omnes, in quorum Ecclesijs fons est Baptismalis, præsertim illi, qui magis hac indigent admonitione, ut omnia habeant, quæ in primâ Nostrâ Synodo sub hoc eodem Titulo de Baptismo §. *tandem* præscripta fuerunt. Quod si in visitatione Deo benignè assistente iterandâ, eâ exactè observata non reperientur; non doleant, si toties paternâ admoniti charitate, prius quam à Deo, severe à Nobis punientur. Secun-

(t) Can. per aquam 9. & can nulla 141. de Consecr. dist. 4.

Secundum; renovantes inhibitionem factam unicuique mulieri de non exercendo munere obſtetricis, niſi prius facultatem obtinuerit à proprio Parocho [u] ſingulis annis prævio examine, ac approbatione confirmandam, addimus, quod ſub pœnis in præcedentibus Noſtris Synodalibus Conſtitutionibus impoſitis, non ſolum munus exercere obſtetricandi non audeant, niſi à Paroco licentiam in ſcriptis habeat, verum etiã ſi ſemel in menſe examinata non fuerit. Parochi verò, qui ad hoc effugiendum, ſeu allevandum incomodum eas patienter audiendi, & quando opus ſit, inſtruendi, ſemel in Menſe negligunt examinare, & tam culpabili conniventiâ eas munus obſtetricandi exercere permittunt, ſciant ſe gravis pœnæ reos futuros apud Nos; gravioris verò, imò graviſſimę apud Deum.

(u) Concil. Med. V. par. 1. §. quæ ad Bapt. pert. Verſ. Obſtetrices.

Conſiderent enim, & vehementer reformident, ne ſi aliqua ex ovibus ſuis ob non illi bene adminiſtratum ab obſtetricibus Baptiſmum, proter ejus incuriam in ea examinanda, æternè pereat, Deus Princeps Paſtorum, qui per Ezechielem Prophetam illis denunciare fecit, quod omnes Animæ ſuæ ſunt (x), & per Salomonem, quod eas amat, (y) e manibus illius Parochi, cui eam ſibi cuſtodiendam commiſſerat, irremiſſibiliter requiret.

(x) Ezech. cap. 18. V. 4. Sap. cap. 11. Verſ. ult.

(y) D. Carol. Act. Eccl. Med par. 4 Inſtruct. §. de Miniſtr. Bapt. verſ. Verum graviſſimè

Ulterius Obſtetrices hortentur, ut in re tanti momenti, curent magis charitatem, quam Lucrum præ oculis habere, moneantque eas graviter peccare, quotieſcumque, mortis neceſſitate non cogente, Baptiſmum audeant adminiſtrare (z).

(z) Concil. Mediol. 4. part. 2. §. quæ pert ad Sac. Bapt. Verſ. Baptizandi.

Tandem Populum, quæ ad hujus Sacramenti adminiſtrationem, præſertim, quoad intentionem, materiam, & formam pertinent, frequenter, & illis maximè diebus, quibus majorem Populi concurſum habere ſolent, inter Miſſarum ſolemnia edoceant.

AD

AD CAPUT X.

De Sanctiſs.^mo^ Euchariſtiæ Sacramento.

IN primâ Noſtrâ Synodo (*a*) comminati fuimus pœnas ſtatutas ab Innocentio III. in Concilio Lateranenſi quarto (*b*) contra Parochos, qui negligerent apud ſe ſub diligenti cuſtodiâ retinere Claves Sacri Tabernaculi, ne poſſet temeraria manus ad ſacram Pixydem extendi: in hac vero tertiâ Synodo graviores ab Innocentio XIII. contra eoſdem decretas indicimus. Cum plures enim ſacras Pixydes, & Oſtenſoria diverſis in Locis ſceleſti homines cum ſacroſanctis Particulis conſecratis auſi fuerint execrando exceſſu furari, ob commoditatem præſertim ſacrilegis manibus factam à culpabili incuriâ, & negligentiâ illorum, quibus cura, & cuſtodia ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, & ſacrorum Vaſorum, in quibus aſſervatur, commiſſa erat; Sanctiſſimus Pontifex Innocentius XIII. divini honoris, & gloriæ vigilantiſſimus Cuſtos, paulo ante quam è vitâ diſceſſerit, Nobis mandavit, ut omnibus Parochis, Rectoribus Eccleſiarum, Sacriſtis, omnibuſque aliis, qui curam ſacri Tabernaculi habere debent, diſtrictè præcipiamus, quemadmodum præcipimus, quod penes ſe, aut in loco tuto, & ſub alijs clavibus cautè ejus claves aſſervatas retineant, illaſque accuratè, & diligenter cuſtodiant; ſubindeque ijſdem denunciemus, ut ſi talia in poſterum ſcelerata, & ſacrilega furta, (quod Deus avertat) contingant, abſque violenti fracturâ ſacri Tabernaculi, vel quia apertum, aut cum clavibus in ejus oſtiolo fuerit relictum, vel quia claves ipſæ relictæ in Sacriſtiâ, aut in loco fuiſſent, ex quo facile fures eas habere, & ſumere potuerint, tum contra Parochos, & alios, ut ſupra irremiſſibiliter, & abſque proceſſu ad pœnam Carceris, nec non ad alias pœnas juxta majorem, aut minorem culpam, & negligentiam procedetur.

(*a*) Part. 1. cap. de Sanct. Euch. Sacr. §. quamobrem.

(*b*) Concil. Lateran. 4. ſub Innoc. 3. can. 20. cap. ſtatuimus de Cuſt. Euchar.

Sciant etiam tantam ab ipsis, tamque diligentem, & fidelem exigi custodiam, ut etiamsi furtum nullum commissum fuerit, attamen, nisi benè, & diligenter Sanctissima Eucharistia ab eis custodita fuerit, quotiescumque id Nobis deferatur, prædicti omnes pœnis Sancitis ab Innocentio III., suspensionis nimirum ad tres Menses ab eorum officio subjecti erunt.

Quam suspensionem non effugient, etiamsi non ab ipsis, sed ab alio Sacerdote relinquatur Ostiolum Sacri Tabernaculi apertum, aut ejus Claves ab eo relictæ fuerint in loco non tuto: qui tamen Sacerdos in tali casu eamdem pœnam, & ipse subibit, nec ullam spem habeant prædicti omnes remissionis, & indulgentiæ; (c) quemadmodum in Nostro Edicto ad calcem præsentis Synodi, & in omnibus Sacristijs etiam Regularium, contra quos facultas procedendi in Literis Sacræ Congregationis Nobis demandatur, reponendo.

(c) Ordina. per la Custodia delle Sacre Pissidi, & Ostensori ponen. post Synod. in Addit. part. 2.

AD CAPUT XI.

De Sacrificio Missæ.

Verum si tanta Vasibus, in quibus asservatur Sanctissimum Sacramentum debetur veneratio, quantam ipsi Sacramento, in quo Dominus Noster Jesus Christus Deus, & Homo verè, realiter, & substantialiter continetur, habenda erit à Sacerdotibus, per quos ejusdem Christi personam in celebratione Missæ gerentes, vivifica hæc, & salutaris Hostia, quâ Deo Patri reconciliati sumus, quotidiè immolatur? Contenti sint igitur Sacerdotes, quod non contenti multa in præcedentibus Synodis circa hoc præcepisse, eadem nunc Nos confirmantes, & pro confirmatis habentes, eos hortemur, & per viscera etiam Misericordiæ Dei nostri deprecemur, & obsecremus, ut non formidine pœnæ, sed dulci Amoris impulsu erga communem Dominum, pro tam ineffabili, & divino beneficio,

ficio, singula velint, quæ in eis continentur, integre, ac plenè observare, eâque cordis munditiâ, & puritate, eâque exterioris devotionis, ac pietatis specie peragere, quâ circumstantibus ostendant, se credere, quod faciunt, & si credant Nostris monitis, & obsecrationibus certè non indigebunt.

Præsertim ceremonias à Romanâ Ecclesiâ institutas nec detrahendo, nec aliud addendo exactissimè observent, & memores, quod eas contemnentes, ac execrantes, anathemate à Sacro Concilio Tridentino feriuntur, [d] videant, ne, si verbis eas minime contemnunt, opere certe vel ob nimiam celeritatem in Celebratione, vel ob non minorem injuriam eas omittendo, vel irreverenter negligendo, cum Scandalo Fidelium, a se parvi fieri demonstrent.

(d) Concil. Trident. Seff. 22. de Sacrific. Missæ cap. 5. ead. sess. can. 7.

Ac proinde Rubricas, quæ in Missali habentur Romano frequenter, semel saltem in anno, animo attento indispensabiliter legant, & recordentur, absque peccato majori, vel minori negligi, & omitti non posse & quod non suffragabitur illis, nisi legant, earum ignorantia, miserrimum, & inane multorum refugium; cum ignorare, quæ scire tenemur, nullum coram Deo, nec corā hominibus præbeat excusationis fomentū (e).

(e) Can. non omnis 16. dist. 37. can. qui ea dist. 38. can. turbatur cap. 1. q. 4. D. Thom. part. 3. quæst. 76. Art. 12. in Corp.

Similiter prius quam accedant Sacerdotes ad Altare Missam celebraturi, dolentes peccata confiteantur [f] Sacras, & pias preces ab Ecclesiâ statutas ante Dominum effundant, sanctitatem mysterij seriò considerantes devotè se præparent, Missam, & quæ in eâ legenda sunt, prævideant, & excurrant, singula suis in locis disponant, verba distinctè, & non præcipitanter pronuntient; (g) ne in celebrandâ Missâ imperiti, aut irreligiosi in conspectu circumstantium comparentes ad admirationem, & non rarò illos excitent ad contemptum.

(f) Concil. Triden. sess. 13. de Euchar. cap. 7.

(g) De Ritib. serv. in Celebrat. Missæ §. 1.

Caveant, ne Missam præcipiti celeritate, & indevotè celebrantes, videantur non Sacrosanctum ac venerandum mysterium, quo nullum aliud opus adeo Sanctum, ac divinum à Christi Fidelibus tractari potest,

ſed lucrum tantum ſpectare, quod inde percipiunt, nec tanquam exercitium devotionis, ſed victum ſibi quęrendi eam conſiderare exiſtimentur.

Tandem, ut quantum poſſumus, hujuſmodi abuſus eradicare ſtudeamus, nec aliquid, quod Nobis facere permittatur, omittamus, omnibus illis Sacerdotibus, qui ad Sacram Miſsam, ut ſuprà, devotè celebrandam ſe præparabunt, ſimulque eam attentè, ac Devotè celebrabunt, Indulgentiam quadraginta dierum qualibet vice concedimus. (*b*)

At ſi nihilominus aliquis ex his [quod non credimus] prædicta deſpiciens auſus fuerit eam vel irreverenter, vel nimis celeriter celebrare, ſuſpenſionis ab eâ celebrandâ, donec ad ſe redeat, ſuique muneris agnoſcat ſanctitatem, pœnâ plectetur.

Inſuper, cum pro celeri ſatisfactione habendâ onerum Miſſarum, inter cœtera fuerit omnibus, & ſingulis Parochis, Rectoribus, ac Sacriſtis Eccleſiarum, nec non Capellanis Oratoriorum Confraternitatum injunctum; ut ſingulis annis per totum Menſem Junium reddant Nobis exactam rationem omnium illorum onerum, quibus ſatisfactum non fuerit, & numerum Miſſarum, quæ ad integrum eorum implementum ſuperfuerunt celebrandæ, ſub pœnis arbitrio Noſtro reſervatis; & cum nonnulli negligentes non ſine eorum conſcientiæ gravamine fuerint in his mandatis, ad quæ etiam ex onere Paſtoralis muneris tenentur, exequendis, addimus, quod in poſterum illi, qui prædictam rationem nobis exactè non reddent, nec nota facient onera, quæ remanent implenda, pœnam perſolvant ſcutorum duorum in Noſtrâ Cancelleriâ Archiepiſcopali, quæ in celebrandis tot Miſſis pro Animabus, quæ deſtitutæ debitis ſuffragijs ob onera non adimpleta in Purgatorio torquentur, erogari mandamus.

Similiter cum Sacra Congreg. auctoritate ſibi ab Alexandro VII. tributa. (*i*) injunxerit, ut in Sacriſtiâ cujuslibet Eccleſiæ Liber retineretur quotidiano uſui

(*b*) Synod. Piſan. Archiepiſc. Rinuc. Rubr. 9. de Sacram. cap. 4. §. Sacerdotes

(*i*) Decr. Sac. Cong. ſub Alex. 7. die 15. Decemb. 1663. poſt Secund. Synod. in Addit. part. 1.

usui paratus, in quo singuli sacerdotes, qui in eâ Ecclesiâ Sacrificium obtulerint, Missam à se tali die celebratam adnotent, & cujus oneris ratione eam celebraverint propriæ manus subscriptione testentur; deindè, quià res tanti momenti novum semper studiũ, novamque solicitudinem exposcit, cum Innocentius XII. ejus constitutione sub die 23. Novemb. 1697. adjunxerit (*l*), ut in posterum duo Libri publico, & quotidiano usui in qualibet Sacristiâ retinerentur, quorum in uno pro cujuslibet oneris satisfactione, in altero Missæ Manuales, ut supra, adnotarentur, Nos in primâ Nostrâ Synodo, & efficaciùs in publico Nostro Edicto edito sub die 22. Decembris 1720. in qualibet Sacristiâ omnibus exposito retinendo prædicta observari præcepimus.

(*l*) Const. 45. Innoc. XII. post Prim. Synod. in Addit. part. 2.

Verum cum in spretum non solum nostrarum [*m*] sed etiam Apostolicarum Constitutionum nonnulli licet à Nobis paternâ quoque charitate pluries admoniti ea exequi neglexerint, Nos iterum omnibus, & singulis Parochis, Rectoribus, & Ecclesiarum Sacristis, singulisque Confraternitatum, Oratoriorumque Capellanis, prædictos duos Libros in qualibet respectivè Sacristiâ retineri mandamus singulis sex Mensibus Nobis, seu Vicario Nostro Generali, seu uni ex deputatis in Synodo pro oneribus Missarum exhibendos, & manu illius, cui ex supradictis exhibebuntur subscribendos: Si quis autem pro duabus vicibus in eis exhibendis defecerit, similem pœnam scutorum duorum toties Nostræ Cancellariæ persolvat, eodem modo, quo supra erogandam.

(*m*) Edict. Nost. sub die 22. Decembre 1720. post secund. Synod. in Addit. part. 3.

Qui vero ex Sacerdotibus (quod Nobis suadere non possumus) audet in aliquo ex pædictis Libris Missam à se celebratam adnotare, quam, vel in alio Loco, vel pro alio onere celebraverit, ipso facto suspensionem per quindecim dies à Missâ celebrandâ incurrat.

AD

AD CAPUT XII.

De Sacramento Pœnitentiæ.

QUum infirmitas corporalis ex peccato nonnumquam proveniat, dicente Domino Languido, quem ſanaverat, *vade, & amplius noli peccare*, nec non ſalubrius ad corporalis Medicinæ remedium procedatur, ſi fuerit infirmo de ſalute Spirituali proviſum, Innocentius III. in Concilio Lateranenſi quarto (*n*) ſtatuit, & diſtrictè præcepit, ut Medici ad Infirmos vocati ante omnia eos admoneant, & ad vocandos Medicos animarum inducant: Cujus veſtigiis inhærens Sanctus Carolus veteris Eccleſiaſticæ diſciplinæ vigilantiſſimus reſtaurator in ſuo primo Concilio Provinciali (*o*) ſub pœnâ excomunicationis ipſo facto incurrendæ ſancivit, quod Medici tranſacto quatriduo, ab infirmi curatione omnino abſtinerent, niſi certo cognoverint, eos poſtquam in febrim, morbumve inciderint, confeſſos fuiſſe. Deinde Sanctus Pius V. admirabili ſuâ erga Gregem ſibi commiſſum ſolicitudine, & vigilantiâ præcepit, [*p*] Sanctiſſimâque conſtitutione in perpetuum valiturâ decrevit, ut Medici ad Infirmos in Lecto jacentes vocati, ante omnia ipſos moneant, ut idoneo Confeſſario omnia peccata ſua juxta ritum Sanctæ Romanę Eccleſiæ confiteantur, neque tertio die ulterius eos viſitent, niſi eis per atteſtationem factam à Confeſſario in ſcriptis conſtiterit Infirmum Sacramentaliter fuiſſe confeſſum, vel longius tempus à Confeſſario illi ob aliquam rationabilem cauſam, ſuper quo Sanctiſſimus Pontifex confeſſarij conſcientiam onerat, conceſſum fuerit.

Quæ omnia venerabilis Sanctæque memoriæ Innocentius XI. ſuo decreto confirmans (*q*) injunxit Parochis, & Concionatoribus, ut Conſtitutionem prædictā Sancti Pontificis PijV. quolibet anno publicarent.

Quamobrem & ſi Nos in primâ Noſtrâ Synodo ſub hoc

(*n*) Concil. lateran. 4. cap. 22. cap. infirmitas de Pœnit. & Remitt.

(*o*) Concil. Mediol. 1. par. 2. Tit. quæ pertin. ad Sacr. Pœnit. Verſ. Iubemus Synod. Mediol. Diœc XI. ſub eod. D Carlo Monit. Execut. Decret. de offic. Medic. Act. par. 2.

(*p*) S. Pius V. Conſt. 2. incipien. ſuper Gregem Dominicū, Concil mediol. 2. ut 1. Decret. 27. Concil. Med. 4. par 2. Tit. quæ pert. ad Sacr. Pœnit. Verſ medici ſuper obſerv. dictæ Conſtit.

(*q*) Liter. Circul. de mandat. Innoc. XI. ſub die 30. Septem 1682. poſt Prim. Synod. in Addit. par. 2.

hoc eodem capite de Sacramento Pœnitentiæ prædicta observari mandavimus, ut muneri nostro, & tot Sanctissimorum Pontificum decretis satisfaciamus, iterum eorum observantiam præcipimus, & per Parochos, & Concionatores oneri illis à Pontifice Pio V. Sanctitate, ac supremâ auctoritate venerabili obedientes in primâ Dominicâ Quadragesimæ ad mentem etiam Sanctissimi Nostri Benedicti XIII. Constitutionem [r] dicti Sanct. Pij V. quolibet Anno publicari mandamus, cujus Summarium in Calce præsentis Synodi habetur.

(r) Concil. Roman. Celebr. Ann. 1725. Tit. 32. cap. 1. & in Appendice ad dict. cap. 1. n. 58.

AD CAPUT XV.

De Sacramento Ordinis.

QUi per Clericatus officium aliud querit, quam Deum, nec à Deo electus est, nec ipse Deum elegit [s]. Quamobrem Clerici omnes ostendentes se non quæ sua, sed quæ Dei sunt querere, Sanctitatem vel conservent, vel si non habent, acquirant; & si vocati non fuerint, sic vivant, & studeant, ut vocentur a Deo: Ad hoc inter alia documenta, seu requisita pro singulis ordinibus Nobis exhibenda etiam in posterum exhibeant attestationem Parochi, seu Confessarij, quod singulis quindecim diebus præter solemniores dies festos peccata sua Sacramentaliter confessi, & Sacrâ Comunione refecti fuerint.

(s) Ivo Carnot. serm. de Eccell. Sacr. Ordin.

Quod Sanctus Carolus in secundo Concilio Provinciali Mediolanensi sancivit (t) Episcopum videlicet nullum Regularem Sacris ordinibus adscribere, nisi fidem à suo superiore factam exhiberet, se religionis, cui adscriptus est, professionem solemniter emisisse, & insuper juramentum præstaret coram eodem Episcopo in scriptis manu suâ signatis, & in Archivio Episcopali servandis, se dictam professionem sponte fecisse, ratamque habere, & habuisse, Nos etiam ad mentem Sanctissimi Domini Nostri Benedicti XIII. [u] in

(t) Concil. Mediol. 2. Tit. 2. Decr. 23.

(u) Concil. Roman. Celebr. Ann. 1725. Tit. 11. cap. 1.

in promovendis Regularibus ad ordinem Subdiaconatus servari volumus, & mandamus.

Similiter Regulares, qui sunt de Familiâ alicujus Monasterij in alienà Diœcesi sitâ, promoveri à Nobis nullatenus sperent ad ordines, nisi in Literis dimissorialibus suorum Superiorum causâ absentiæ Episcopi, vel ordinationis ab eo non habendæ exprimatur, ut decretum fuit à Sanctæ Memoriæ Clemente VIII. (x) & mens est Nostri Sanctissimi Patris Benedicti XIII. quod observetur (y).

(x) Decr. Clem. 8. habet. post Prim. Synod. Pisan. in Addit. part. 2.

(y) Dict. Concil. Roman. Tit. 21. cap. 1.

AD CAPUT XVI.

De Sacramento Matrimonij.

INter alia bona Matrimonij unum est [verbis utimur Divi Augustini] *Prolem amanter suscipere, benigniter enutrire, religiosè educare*; Quod à Concilio Florentino (z) comprobatur, in quo enumeratis bonis Matrimonij *primum*, dicitur, *Proles suscipienda, & educanda ad cultum Dei*. Verum cum nonnulli ex Parentibus digni profecto, qui a Divo Paulo vocentur infidelibus deteriores, hoc tam culpabili negligant indulgentiâ, ut filios suos etiam relinquant in manibus consilii sui, & non raro in manibus illorum, qui longo tempore, ac studio circuunt, ut eas devorent, compulsi fuimus ingenio nostro repugnantes, & ab infligendis pœnis alieno, excomunicationis fulmine sponsos percutere, qui ante Matrimonii celebrationem copulam haberent, simulque parentes, & consanguineos, qui tam damnabili indulgentiâ, ob nostrorum temporum miseriam semper magis ingravescentem, illam scienter permittunt.

{z} Decr. Eugen. 4. vers. septimum est Sacramen. Matrim.

Nunc vero cum frequenter ad aures Nostras querelę pervenerint, quibus Puellæ magis Lacrymis, sed nimium seris, quam verbis conqueruntur, & dolent, spe futuri Matrimonii se deceptas, & defloratas fuisse, Nos ad hoc execrabile scelus à Nostrâ Diœcesi penitus

tus

tus removendum, quo pessimi homines blanditiis, ac mendacibus, & dolosis promissionibus prius animam quærunt corrumpere, quàm corpori inferant contumeliam, nec non ad supplendas partes indormientium Parentum, qui improbâ conniventiâ se ipsos, & filias ęternæ exponunt damnationi, omnes, & singulos, qui, fictâ spe, falsâque fide datâ de Matrimonio secum contrahendo aliquam Puellam Virginem ad consentiendum inducentes, eam deflorant, excomunicationis sententiâ ipso facto incurrendæ, & Nobis privativè, quo ad omnes reservatę innodamus.

AD CAPUT XVII.

De Festorum Observatione.

O Quam deplorabile perditorum hominum mercimonium, qui pro modico temporali lucro in terris quærendo, æternas in Cœlis divitias amittunt! Deserunt diebus Festis Sacra Templa, in quibus omne bonum obtinemus à Domino, ne, suas derelinquendo apothecas, & Officinas, paucos Obolos perdant, quibus divinam provocant indignationem, & sibi, & Filiis non raro mendicitatem mercantur.

Mandat Nobis Deus, cujus est terra, & plenitudo ejus, ut Sabbata sanctificemus: monet, ut ea reverenter custodiamus: jubet eorum profanatores morte puniri: (a) Ad cultum, & honorem Deo his præcipuè diebus debitum vindicandum à temerario hominum contemptu, clamant adversus eos, pœnasque decernunt Ecclesiastici Canones, (b) sacra Concilia, Apostolicæ Constitutiones: Nos ex debito nostri muneris in utrâque præcedente Nostrâ Synodo [c] dies Festos observari districtè præcepimus: pœnas contra contumaces publico Nostro Edicto indiximus: pluries eorum observantiam in Visitationibus commendavimus: & tamen, quod erat in votis adhuc non obtinuimus. Restat ergo, ut vos Patres Animarum contra eos ardenti zelo ab

(a) Exod. cap. 31. Levit. cap. 19. 24. & 26. Deuter. cap. 5. Num cap. 15.

(b) Can. pronunciandum, Can. Jejunio de Consecrat. dist. 3.

(c) Cap. 17. part. 1. Edict. sub die 10. Junij 1708. post Prim. Synod. in Addit. part. 3.

Altari clametis: ut frequenter Noſtrum Edictum legatis, & paternâ, quâ debetis, charitate ad memoriam unjuſcujuſque ex veſtro Populo reſpectivè revocetis, quæ in eo continentur: Denunciate divinæ ultiotis flagella, quæ cervicibus minantur deridentium monitiones, & mandata Noſtra, quæ ſunt mandata ipſius Dei, qui honorem ſuum nemini dat, nec irridetur: Et ſi nihilominus non reſipiſcant, ſciant, ſe irremiſſibili pœnâ, juxta Noſtrum Edictum pluries promulgatum, mulctandos. Quam pœnam extendimus etiam ad Dominos, & eos, qui Operarios diebus feſtis mercede conducunt, uti primos debitores Deo, quod illis diebus opera ſervilia fiant, & Divinus cultus profanetur.

AD CAPUT XVIII.

De Indulgentijs.

ARbitrio Noſtro puniendos in Primâ Noſtrâ Synodo ſtatuimus illos, qui vel Indulgentias apocryphas, vel cum eſſent ad certum tempus conceſsæ, eo præterito publicarent (*d*).

Ne igitur hoc contingat ob ignoratam Sacræ Congregationis declarationem à Sanctæ Memoriæ Clemente XI. approbatam; & ne Fideles ſpirituali lucro, quod ſperabant, defraudentur, ſciant omnes, quod ſeptennium, quo conceduntur Altaria privilegiata pro Mortuis, vel Indulgentia plenaria pro vivis, computandum eſt à die illius publicationis per Ordinarium ad formam Sacri Concilij Tridentini demandatæ: quamobrem Rectores Eccleſiarum, pro quibus hæc Brevia, ſeu Indulta conceduntur, videant diem, in quo Romæ data ſunt, non illum, in quo fuit decretum publicationis interpoſitum, & ab eo die, expirato ſeptennio, amplius non publicent, & novum curent obtinere (*e*).

Sciant ſimiliter, & ſuo reſpectivè Populo Parochi omnes.

(*d*) Cap. de Indulg. part. 1.

(*e*) Decr. Sacr. Cong. Indulg. &c ſub die 18. Maii 1711. poſt 3. part. Addit. ad Secund. Synod. in ſupplem.

omnes notificent; quod Sanctissimus Dominus Noster Benedictus XIII. ad augendam Beatissimæ Semper Virgini Mariæ venerationem, & ad excitandam, confovendamque erga illam Fidelium devotionem, omnibus, & singulis Christi Fidelibus, qui verè Pœnitentes, & Confessi, ac Sacrâ Communione refecti, mane, aut meridie, vel vesperè, ad pulsum Campanæ, *Angelus Domini nunciavit Mariæ, & concepit de Spiritu Sancto: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum Verbum tuum: Et verbum caro factum est, & habitavit in nobis, cum tribus Ave Maria*, flexis genibus, devotè recitaverint, & pro Christianorum Principum concordiâ, Hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, Plenariam in uno die cujuslibet Mensis dumtaxat, per unumquemque Christi Fidelem ad sui libitum eligendo lucrifaciendam omnium peccatorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedit: Nec non centum dierum Indulgentiam pro reliquis Anni diebus concedit Christi Fidelibus verè contritis, quoties id egerint; ut in ejus Brevi, quod post Synodum adscriptum habebitur.

Quamobrem, ne ob culpam Parochorum, qui saluti Animarum sibi à Deo commissarum invigilare debent, hunc Cœlestem Thesaurum amittant; mandamus, & injungimus omnibus, & singulis Parochis, & Ecclesiarum curam habentium Rectoribus Nostræ Diœcesis, ut in posterum, prædictis tribus temporibus, mane scilicet, meridie, & vesperè pulsent Campanas: ut unusquisque ex Populo eorum respectivè Pareciæ earum sonum audiens, genuflectat, & recitet prædictas salutationes Angelicas: onerantes ante Deum eorum conscientias, si, nostris non obtemperantes mandatis, causa sint, quominus Sanctissimam Virginem Patronam, & Advocatam nostram, his tribus cujuslibet diei temporibus, Populus veneretur, & hanc Indulgentiam amittat.

AD CAPUT XIX.

De Sacrosanctis Ecclesijs.

IMmunitas Ecclesiarum, in quibus residet Rex Regum, & Dominus Dominantium, cui soli honor, & gloria, nil aliud exigit tot Juris Divini, Pontificij, & Cæsarei Constitutionibus munita, & (*f*) protecta, quam quod his Nostris Synodalibus eam, quibus opus sit commendemus, maximè in hoc felicissimo Statu, in quo nostrorum religiosissimorum Principum eximiâ pietate non solum conservatur, sed fovetur, & colitur.

Verum, cum ad coercendam, & refrenandam Delinquentium audaciam, & delictorum frequentiam, quæ, ob malitiam perversorum hominum in dies magis invalescentem, augentur, & publicam quietem spe Ecclesiasticæ immunitatis perturbant, nonnulla delicta indigna illâ gaudere à Summis Pontificibus excepta fuerint; pro his recognoscendis præ oculis habeatur Constitutio Gregorij XIV. incipiens *Cum alias*; (*g*) in quâ singula enumerantur delicta, quæ ab Ecclesiasticâ immunitate excluduntur, nec non nova Constitutio Sanctissimi Domini Nostri Benedicti XIII. incipiens *Ex quo*, in quâ non solum illa Gregorii XIV. confirmatur, verū etiā ad alia delicta ab eâ excludenda, aliosque casus, providâ vigilantiâ extenditur, & ampliatur. Ut autem utraque debitâ observetur obedientiâ, quotiescumque aliqua difficultas in posterū emergat quo ad extractionem à locis immunibus Delinquentium, qui immunitate non gaudent; quorum cognitionem ad solos Episcopos attinere in prædictis Pontificiis Constitutionibus declaratur; forma in illis præscripta attendatur, quemadmodum attendi, & observari mandamus. [*h*]

Similiter, cum non rarò ab illis, qui extra loca immunia capti sunt a Birruariis, ad eludendam justitiam, dolosè allegentur excusationes, & ad eas probandas,

per

(*f*) Exod. cap. 21. Num. cap. 35. deuter. cap. 19. Josue cap. 20. cap. inter alia 6. cap. Ecclesiæ 9. de Imm. Eccl. cap. cum laicis de Reb. Eccl. alien. vel non, can. miror 8. can. reum 10. can. si quis cap. 17. q. 4. L. præsenti C. de his qui ad Eccl. confug. Auth. de Mand. Princip. §. neque autem. Conc. Trid. sess. 25. cap. 20. de Reform.

(*g*) Habetur post 2. Synod. Addit. par. 2.

(*h*) Constit. Benedicti XIII. sub die 19. Junij 1725. post præsen. Synod. in Addit. part. 2.

perjuris, & falſis teſtibus, aliiſque enormibus exceſsibus magis coram Deo, & hominibus rei reddantur; ſciant omnes Confugientes ad Eccleſias, & alia loca immunia, quod, ſi ab Executoribus juſtitiæ extra illa capti fuerint, non ſuffragabitur illis in poſterum allegare, aut velle probare, ſe fallacibus ſuaſionibus, blandis verbis, malitioſis aſſecurationibus extractos fuiſſe: ideòque caveant, ne id ſibi ſuadentibus quocumque pretextu, aut causâ credant, nec fidem præſtantes hujuſmodi aſſecurationibus, è loco immuni egrediantur, etiam ſi illis hæ factæ fuerint ab ipſis Miniſtris Juſtitiæ, niſi etiam ſalvum Conductum habeant ſibi conceſſum, & ſubſcriptum ab Judice Ordinario, ſeu Delegato: alioquin ſi extra locum immunem carcerati fuerint, illis doloſam extractionem allegare non proderit, ex Declaratione Sanctæ Mem. Clementis XI. quæ à Nobis ſex ab hinc annis publicata, & ejuſdem mandato poſt Secundam Synodum in Additionibus ad eam, par. 2. habetur impreſſa.

AD CAPUT XXI.

De Funeribus, & Exequijs.

AD confovendam, & conſervandam pacem inter Parochos, & Regulares, & ad penitus arcendas Lites, & controverſias ab Eccleſia Dei, quæ inter illos occaſione Quartæ Funeralis excitari ſolent, Sanctiſſimus Dominus Noſter Benedictus XIII. declarat, & mandat, illã eſſe in futurum perſolvendam Parochis Defunctorum, qui in Eccleſijs quorumcumque Regularium tumulabuntur. Cujus Conſtitutio, ſub quinto Kalendas Maij 1725. poſt præſentem Synodum in Additionibus dabitur, ut eadem, quam ab omnibus plenitudine ſuæ poteſtatis præcipit obſervari, tamquam regula ſit, & norma, a quâ nullus in poſterum recedere debeat.

AD

AD CAPUT XXIII.

De Bonorũ Ecclesiasticorũ Inventario.

UT rerum, & bonorum Ecclesiasticorum, quæ divino cultui, operibusque charitatis sunt consecrata, indemnitati consulamus, (*i*) & majori, quâ potest, diligentiâ custodiantur, & conserventur, in executionem Apostolicarum, nostrarumque Synodalium Constitutionum, omnibus, & singulis, tam Ecclesiarum, & Monasteriorum, quàm Beneficiorum, nec non piorum quorumcumque Locorum Rectoribus, aut quocumque nomine vocatis Administratoribus, iterum mandamus, & imponimus, ut, intra quatuor menses à publicatione præsentis Synodi, exactissimum Inventarium conficiant (*l*) omnium, & singulorum Bonorum immobilium, mobiliumque ad formam præscriptam in primâ Nostrâ Synodo sub hoc eodem titulo, & Instructionis ad majorem facilitatem post hanc in Additionibus imprimendæ: cujus Inventarii unum exemplar in Nostro Archivio Archiepiscopali conservandum exhibeant, & aliud apud se retineant manu Cancellarii firmatum Successoribus suis reservandum.

(*i*) Cap. nulli liceat 5. cap si quis 6. de Rebus Eccl. alien. vel non alien. can. Sacrilegium, can. omnes 17. quæst. 4. Vide not. ad Titul. de Bonis Eccl. non alien. in pr. Synod. & ad hunc Tit. de Bonorum &c.

(*l*) Sixtus. V. Constit incipi. Provida 8 Junii 1587. nec non multa Concil. Provinc. apud Quaran. in Summ. Bull. verbo Archivium.

AD CAPUT XXV.

De Vitâ, & Honestate Clericorum.

UT quod estis, actione potius, quàm nomine demonstretur, & quo majori gradu, ac dignitate aliis excellitis, omni etiam pietatis, & virtutis præluceatis exemplo; vestrum erit omnia, & singula, quæ ad honestatem, & vitam Clericorum à Sacris Canonibus, & à Nobis in præcedentibus Synodalibus, ac Pastoralibus Edictis, quę pro confirmatis hic haberi volumus, decernuntur, plenê obsęrvantes, præbere vos bonorum operum exemplum, in doctrinâ, & integrita-

grita-

gritate: ut cum positi sitis tanquã signum ad sagittam, nihil malum habeant dicere de Vobis, sed cunctis actiones vestræ sic eluceant, ut, quemadmodum Concilium Tridentinũ vos admonet, illis adferant venerationem.

Quamobrem, quicquid à Nobis copiosè, ac salubriter, ut supra, sancitum est, etiam in hac tertiâ Synodo observari mandamus, monentes omnes, ne doleant, si Nos muneri Nostro, ac Ecclesiasticis mandatis obsequentes, pœnis à Sacris Canonibus, & a Nobis similiter statutis, nec non majoribus etiam, quoties contumacia invaluerit, inobedientes ad resipiscentiam, & observantiam compellemus.

AD CAPUT XXVIII.

De Parochis.

MEmores Parochi, inter alia sibi præcepto Divino mandatum esse, Sacrificium pro Ovibus suis offerre, sciant, se non solum singulis Dominicis, & cœteris diebus Festis Missam in suâ Ecclesiâ Parochiali celebrare, sed etiam pro eisdem Ovibus Sacrificium applicare teneri, quemadmodũ pluries declaravit Sacra Congregatio Concilii: cujus Declarationes ne dum recipi, verũ etiã venerari debent: cum præsertim pro hujus oneris implemento in hac Nostrâ Diœcesi, quo Parochi obstinguntur, suis Literis invigilare Nobis injunxerit; quemadmodũ in earũ obsequiũ,& obedientiã particulari Nostro Edicto Vobis omnibus notum fecimus, & nunc iterũ facimus, ac exactam observationẽ indicimus (*m*).

(*m*) Edict. sub die 23. Febr. 1711. quod post hanc Tert. Synod. in secun. part. Addit. habet.

Ad occurrendum perniciosæ calliditati eorum, qui, sub simulatâ specie pietatis, habitum Eremitarum assumunt, ut aliorum impendio, prætextu charitatis, extorto, majori vagentur libertate; Parochis omnibus enixè mandamus, ut hujusmodi Eremitas in suis respectivè Pareciis, sub quocumque titulo, & nomine nullatenus recipiant, nec habitare, nec quæstum in illâ facere permittant, nisi licentiam illis à Nobis, vel à Vi-

à Vicario Noſtro Generali conceſſam in ſcriptis, & quolibet anno confirmandam, exhibeant.

Hujuſmodi verò Eremitæ in locis, in quibus, Nobis permittentibus, morantur, vitam ab oculis Populi remotam, modeſtam, cœlibem, & religioſam degant: Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ frequentent: domeſticas conſuetudines cum Sæcularibus, comeſſationes, & compotationes fugiant, nec unquam Mulieres, ullo prętextu, in ſua Hoſpitiola, & manſiunculas ingredi permittant.

Ad hæc; quilibet Parochus habens aliquem Eremitam in ſuâ Pareciâ commorantem, per menſem à publicatione harum Synodalium Conſtitutionum, Nobis illum denunciet; ſimulque, quo ad ejus mores, & quo ad Sacramentorum frequentiam, ſinceram, & exactam exhibeat relationem: ut quatenus opus ſit, opportunis remediis, ad mentem etiam Sanctiſſimi Domini Noſtri Benedicti XIII., providere poſſimus.

Nec non ſinguli Eremitæ, quolibet anno, tempore Adventus, in Menſe Decembris, coram Nobis ſe repreſentent, ut audiant admonitiones, & quæ neceſſaria judicabuntur, ſimulque ſpiritum libertatis Obedientiæ ſubiiciant.

Similiter omnes Parochi, quolibet anno, per totum prædictum Menſem Decembrem, notificent Nobis, cognitoſque reddant ſingulos Sacerdotes exteros, quos habent intra fines ſuæ reſpective Pareciæ: ne ullus ex illis, propriâ Diœceſi relictâ, pro cujus utilitate, & neceſſitate promotus fuit, neſcientibus Nobis, in Noſtrâ moretur Diœceſi.

(n) Synod. ann. 1581. Rubr. 12. cap. 2. Synod. ann. 1616. Tit. 10. cap. 4. Synod. ann 1625 Tit. 10. cap. 4.

Quum autem ex laudabili conſuetudine, ac onere ſibi à veteribus Conſtitutionibus injuncto, debeant Parochi omnes hujus Noſtræ Diœceſis in die anniverſario Conſecrationis Eccleſiæ Primatialis, ſexto Kal. Octobris, ſingulis annis, in eadem Eccleſiâ Primatiali, Choro, dum canitur Miſſa ſolemnis, aſſiſtere; eodemque die atteſtationes exhibere, obſervatum ab eis fuiſſe, quod in Noſtris Synodalibus Conſtitutionibus, ſub

hoc

hoc onere illis imponitur; Volumus etiam, ut Nobis, seu Vicario Nostro Generali referant, quidquid pro earum Ecclesiarum necessitate, pro pace inter eos conservandâ, & pro Animarum salute, ad quam eas dirigere debent, opportunum in Domino existiment; ut decernere, ac providere, quod opus fuerit, valeamus.

Habeant Parochi tandem Synodales omnes Constitutiones Nostras, easque frequenter legant, quemadmodum, eas legere saltem quolibet anno, illis districtè præcipimus, ne illud David objici possit: Noluerunt intelligere, ut bene agerent: frustra enim pro bono regimine hujus Diœcesis factæ, & promulgatæ fuissent, si Parochi, ad quos præcipuè spectat Populum instruere, illas ne quidem legerent, ne dum observarent.

AD CAPUT XXXII.

De Sodalitatibus Laicorum.

QUum in Processionibus, quæ, tam ad gratias agendas, & vota solvenda Deo, quam ad colendam ex antiquo, & laudabili instituto, divinam Majestatem, placandam, & exorandam, singulis annis, peraguntur, Confraternitates, quæ ad eas accedere tenentur, tam paucis Confratribus sacco indutis illis intersint, ut, sic per Urbem procedendo, videatur dici posse cum Hieremiâ Prophetâ, Viæ Civitatis lugent, eò quòd non sint, qui interveniant ad solemnitates; Nos ad hunc dimovendum abusum, ne Religio, pro quâ majores vestri divitias, & sanguinem profuderunt, neque majestas sacrarum Functionum, quæ in hac tot Titulis decoratâ Ecclesiâ Primatiali semper resplenduit, ex hoc tam infrequenti, ac fere nullo comitatu, quo, hujusmodi Confraternitates Crucem exaltatam deferentes, eam prosequuntur, appareat in conspectu Gentium diminuta; ita ut qui vident, possint subjungere cum eodem Prophetâ, egressus est ab eâ omnis decor

ejus; decernimus, & mandamus, ne ulla in posterum ex Confraternitatibus audeat ad prædictas Processiones accedere, nec illis interesse minori numero, quam duodecim Confratrum, qui sacco induti sint, sub eàdem pœnâ à Prædecessoribus Nostris statutâ, quâ nempe, si non intervenissent, plecterentur.

Verum volumus vos, quorum Pietas, ac Religio in aliis Functionibus refulget, precibus magis, quam pœnis ad illam etiam in his Processionibus demonstrandam excitare. Quamobrem vos hortamur, & deprecamur, ut numero etiam longè plures eo, quem vobis præscripsimus, ad illas conveniatis, memores, quod Dominus Noster, Benignus, & Misericors, non ideò gratiarum actiones à Nobis exigit, quod opus publicis hisce nostris grati, pro susceptis beneficiis, animi significationibus habeat: neque enim bonorum nostrorum eget: sed ut nos ad majora semper subsidia promerenda comparemus. Talis enim est Deus in fide Divi Joannis Chrysostomi, ut latius Nobis sua eroget dona, cum Benefactorem agnoscimus.

AD CAPUT XXX.

D Fructibus Beneficiorum vacantium.

AD evitandas controversias, quæ suscitari potuissent, ratione congruæ assignandæ Æconomis, qui deputantur in vacatione Beneficiorum Parochialium, illam ad rationem servitii, & eorumdem fructum in certâ menstruâ mercede constituimus in Secundâ Nostrâ Synodo, sub eodẽ Titulo, & taxavimus.

Verum cum postmodum emerserit dubium, an in eâ comprehenderetur etiam eleemosyna, debita ratione applicationis Sacrificii pro Populo in Missis celebrandis quolibet die Dominico, & Festo, in Ecclesiâ, cujus deputati fuerunt Æconomi; decernimus comprehendi: ita ut inter alia Parochialia munera per Æconomos adimplenda, ultra Missæ celebrationem, fit etiam applicatio Sacrificii pro Populo.

De Con-

De Constitutionibus Synodalibus.

Confirmamus omnia, & singula acta, decreta, & constituta in primâ, & secundâ Nostrà Synodo, & omnia, quæ in illis, & in hac tertiâ Synodo, ad Divinum Cultum augendum, ad instaurandam in Clero Ecclesiasticam disciplinam, & ad Animarum saluti, quæ Nostræ Pastorali Curæ, ac Vigilantiæ à Deo commissæ sunt, prospiciendum, providendumque, præcipiuntur, & decernuntur, observari præcipimus, & mandamus, simulque, ad ea non pœnarum metu, sed virtutis amore custodienda, ut semper præ manibus habeant, singulos ad quos spectat, hortamur.

Volumus similiter, ut omnes, & singulæ Constitutiones, quæ in hac tertiâ Synodo præsentibus additæ sunt, vim obtineant, omnesque ligent, nec ulli liceat contra ipsas aliquid facere, nec moliri post tres Menses ab earum publicatione: Reservantes Nobis, & & Vicario Nostro Generali, quotiescumque de earum sensu, & germano intellectu dubitari contingat, eas declarare, ac explicare, omni aliâ interpretatione rejectâ, ut in primâ Nostra Synodo reservavimus.

Ulterius edicimus, ut, in vacatione Ecclesiarum Parochialiū, tam intra, quā extra Civitatem, semper retineantur, & reserventur Parocho successori, pro ut de illis, tam primæ, qu secundæ Synodi mandavimus. Volumus enim, ut unaquæque ex tribus Synodis hactenus à Nobis celebratis, inter ea, quæ Parochis successoribus relinquenda sunt, comprehendatur.

Tandem, quâ debemus, humilitate, & obedientiâ omnia, & singula, quæ sancita, & decreta sunt in hac Tertiâ Synodo, Auctoritati, ac Judicio Sanctę Romanę Ecclesiæ, omnium Ecclesiarum matri, & magistræ, semper emendanda, & corrigenda reverenter subijcimus.

JUDICES SYNODALES.

R *Everendissimus Dominus Abbas Antonius Franciscus Palmerini J. U. D. Archipresbyter Prothonotarius Apostolicus, & Vicarius Generalis.*

D. Joseph Maria de Rossserminis Decanus Prothon. Apostol. J. U. D.

D. Jacobus Joseph de Angelis Canonicus Prothon. Apostol. J. U. D.

D. Joseph de Martinis Canonicus J U. D.

D. Camillus de Curinis Canonicus J. U. D. *Prothonot. Apostolicus.*

D. Nicolaus Maria Lisci Canonicus J. U. *& Sacr. Theol. Doct. Prothonotarius Apostolicus.*

D. Clemens Maria de Frosinis Canonicus Theol. & J. U. D.

D. Joseph Maria de Ruschi Canonicus J. U D.

D. Jacobus Antonius de Frosinis Canonicus Pœnitentiarius J. U. D.

D. Petrus Raynerius de Corazis Canonicus J. V. D.

D. Angelus de Franceschis Prothonotarius Apostolicus J. U. D. *Præpositus Insignis Collegiatæ Liburni.*

Adm. Reverend. Pater Abbas pro tempore Canonicorum Regularium S. Michaëlis extra Urbē, cum voto Assessoris usque ad aliā Synodum.

Adm. Reverend. Pater Abbas pro tempore S. Michaëlis in Burgo cum voto Assessoris usque ad aliam Synodum.

EXAMINATORES.

R *Everendissimus Dominus Abbas Antonius Franciscus Palmerini J. U D. Archipresbyter Prothonotarius Apostolicus, & Vicarius Generalis.*

D. Joseph Maria Rossermini Decanus J. U. D. Prothonot. Apostol.

D. J*acobus* J*oseph de Angelis Canonicus* J. U. D. *Prothonot. Apostol.*

D. J*oseph de Martinis Canonicus* J. U. D.

D. Camillus de Curinis Canonicus J. U. D. *Prothonot. Apostolicus.*

D. Nicolaus Maria Lisci Canonicus J. U. D. *Prothonot. Apostolicus.*

D. Clemens Maria de Frosinis Canonicus Theologalis, & J. U. D.

D. Ioseph Maria de Ruschi Canonicus J U. D. *& Lector.*

D Iocobus Antonius de Frosinis Canonicus Pænitentiarius J U. D.

D. Petrus Raynerius Corazi Canonicus I. U. D.

D. Cura-

D. Carolus de Morandinis Canonicus I. T. D.

D. Angelus de Francescbis I. V. D. *Protbonotarius Apostolicus Præpositus Insignis Collegiatæ Liburni.*

Adm Reverend. D. Antonius Oliverius I. V. *& Sacr. Theol. Doct. Almi Collegij Ferdinandi Rector.*

Adm. Reverend. D. Ioannes Paulus Gualterius I. V. D. *Rector Collegij Ducalis Sapientiæ.*

Adm. Reverend. P. Magister Angelus Antonius Dati Inquisitor Generalis.

Adm. Reverend. P. D. Alphonsus Maria Guidiccioni Prior Chartusiæ Abbas Gorgonæ.

Adm. Reverend. P. D Guidus Grandi Abbas Camaldulensis Lector.

P. D. Virginius Valsechi Manachus Casinensis Lector.

P. D. Cælestinus Rollius Monachus Cælestinus Lector.

P. D. Stephanus Trenta Monachus Cansinensis Lector.

P. D. Modestus de Alizerijs Monachus Olivetanus.

P. M. Franciscus Orlendius Ordinis Prædicatorum Lector.

P. M. Horontius de Luca dicti Ordinis Lector.

P. M. Ignatius Ioseph de Perinis dicti Ordinis Lector.

P. M. Antonius de Rossis Ordinis Servorum B. M. V. Exgen. Lector.

P. M. Sebastianus Tognini dicti Ordinis.

P. M. Joannes Maria Stella dicti Ordinis Prior S. Antonij.

P. M. Joannes Maria de Ferrinis Ordinis Carmelitarum.

P M. Ioannes Stephanus Bambagiari dicti Ordinis.

P. M. Fortunatus Cortesi dicti Ordinis Lector.

P. M. Egidius Porrini ejusdem Ordinis Prior.

P. M. Angelus Maria Ballerini ejusdem Ordinis.

P. M. Nicolaus à S. Laurentio Ordinis Carmelitarum Discalceatorum Lector.

P. M. Stephanus Ioseph à Sanctissimo Sacramento dicti Ordinis.

P. M Ioannes Maria Ferri Ordinis Heremitarum S. Augustini Prior S. Nicolai.

P. M. Petrus Fabbri dicti Ordinis.

P. M Nicolaus Pierotti dicti Ordinis.

P. M Julius Accetta dicti Ordinis.

P. M. Ioannes Baptista Rossi Ordinis Minorum Conventualium S Francisci Vicarius S. Officij.

P. M. Leonardus Domini dicti Ordinis Lector.

P. M.

P. M. *Felix Mariottini dicti Ordinis.*
P. M. *Thomas Morandi Ordinis Minorum* **de Observantia Lector.**
P. M. *Gaudentius Barasagli dicti Ordinis.*
P. *Iacobus Lutrelli Societatis Iesu.*
P. D. *Sebastianus Reali Congregationis S.* **Pauli Barnabitarum.**
P. D. *Ambrosius Maria de Ribrocchis dictæ* **Congregationis Præpositus** *S. Frigdiani.*
P. M. *Ferdinandus Ioseph Stacchini Lector* **Iubilatus Ordinis minimorum** *S. Francisci de Paula.*

TESTES SYNODALES.

D. *Ioannes Baptista Gaetanus Archidiaconus.*
D. *Silvius de Nomis Canonicus.*
D. *Angelus Octavius de Abramis Canonicus.*
D. *Paulus de Salvettis Canonicus.*
D. *Ioannes Baptista de Poggesis Canonicus.*
D. *Flaminius de Upezzinghis Canonicus.*
D. *Franciscus Raynerius Lanfranchi Lanfreducci Canonicus.*
D. *Franciscus Maria de Gasperis Canonicus.*
D. *Philippus Maria de Tiburtijs Canonicus.*
D. *Eques Iulius de Grassolinis Canonicus.*
D. *Antonius Raynerius Xaverius de Toninis Canonicus.*
D. *Ioannes de Pandolphinis Canonicus.*
D. *Nicolaus Maria de Sylvaticis Canonicus.*
D. *Eques Raynerius Maria de Catantis Canonicus.*
D. *Nicolaus à Paule Canonicus.*
D. *Hyeronimus de Frosinis Canonicus.*
D. *Thomas de Ruschis Canonicus.*
D. *Gaspar de Leolis Canonicus.*
D. *Angelus de Franceschis I. U. D. Prothonotarius Apostolicus Insignis Collegiatæ Liburni Præpositus.*
R. D. *Eques Ioannes Antonius Torsi Canonicus dictæ Insignis Collegiatæ.*
R. D. *Petrus Marcus de Marchesinis Canonicus dictæ Insignis Collegiatæ.*
R. D. *Petrus Philippus Cecchi Canonicus Theologalis dictæ Insignis Collegiatæ.*

R. D. Lu-

R. D. *Laurentius Giavarini* Canonicus *dictæ Insignis* Collegiatæ.
R. D. *Dominicus Brignole Canonicus dictæ Insignis* Collegiatæ.
Ven. D. *Dominicus de Boscainis* Prior *S. Sixti* Pisarum.
Ven. D. Franciscus Maria *de Martellis Vicarius S. Zenonis* Pisarum.
Ven. D. *Ioseph* Maria *Tellini Prior S. Iacobi de Orticaria*.
Ven. D. *Ioseph de Blasinis I. V. & Sacr. Theol. Doctor* Præpositus *Pontis Eræ*.
Ven. P. *Antonius Frullani* Plebanus *Buti*.
Ven. P. *Ioannes* Donati Plebanus *Cascinæ*.
Ven. P. *Ioseph Salutii* I. V. D. Plebanus *Vici* Pisani.
Ven. P. *Ioannes* Michael *Cosci Plebanus Blentinæ*.
Ven. P. *Raphael de Casalis* S. T. D. Plebanus *Calci*.
Ven. P. Antonius *Tavola* Plebanus *S. Hipolythi*, & *Cassiani de S. Cassiano*.
Ven. P. *Paulus Graßotti* Plebanus Avanæ.
Ven. P. *Franciscus* Maria *Banti I. V.*, & *S. T.* D. *Pleb. Rusignani*.
Ven. P. *Bartholomeus de Barthlomeis* Plebanus *Massaciuccoli*.

PÆNITENTIARIJ.

D. Jacobus *Antonius de Frosinis I. V.* D. Canonicus *Pœnitentiarius*.
Reverendiss. D. *Abbas Antonius Franciscus* Palmerini *I. V. D. Archipresbyter*, *Prothonotarius Apostolicus*, & *Vicarius Generalis*.
D. *Ioseph Maria de Rosserminis* Decanus *Prothonot. Apost* I. V. D.
D. *Iacobus Ioseph. de Angelis* Canonicus *Prothonot. Apost.* I. V. D.
D. *Ioseph de Martinis* Canonicus I. V. D.
D *Cammillus de Curinis* Canonicus *rothonot. Apost.* I. V. D.
D. *Nicolaus Maria Lisci* Canonicus I. V. & S. T. D. *Prothon.* Apost.
D. *Clemens Maria de Frosinis* Canonicus *Theologalis* I. V. D.
D. *Joseph de Ruschis* Canonicus I. V. D.
Ven. D. *Andreas Patrocli Chori Magister*.
Ven. D. *Raynerius Casciai* I. V. D. *Capellanus*.
Ven. D. *Dominicus Boscaini* Prior *S. Sixti Pisarum*.
Ven. D. *Raynerius Tavola* I. V. D. *Capellanus*.

DEPUTATI PRO DOCTRINA CHRISTIANA.

D. *Ioseph de Martinis* Canonicus I. V. D.

D: Nico-

D. Nicolaus Maria Lisci Canonicus I. U. & S.T. D.
D. Eques Raynerius Maria de Catantis Canonicus.

DEPUTATI PRO ONERIBUS MISSARUM.

D. Joannes Baptista de Poggesis Canonicus.
D. Eques Julius de Grassolinis Canonicus.
D. Joseph de Ruschis Canonicus I. V. D.

DEPUTATI SUPER SEMINARIO.

Reverendiss. Dominus Abbas Antonius Franciscus Palmerini I. V. D. Archipresbyter Protbonotarius Apostolicus, et Vicarius Generalis.
D. Ioseph Maria de Rosserminis Decanus Protbonotarius Apostolicus I. V. D.
D. Jacobus de Angelis Canonicus I. V. D. Protbonot. Apostolicus.
D. Camillus de Curinis Canonicus I. V. D. Protbonot. Apostolicus.

Alij Electi Secundum formam Concilij Tridentini
Sessione XIII. Cap. XVIII.
de Reformatione.

D. Clemens Maria de Frosinis Canonicus Theologalis I. V. D.
Ven. D. Antonius Dominicus Martini Capellanus.
Ven. D. Cajetanus de Catantis Prior S. Sylvestri.

CAMERARIUS.

Ven. D. Simon Andreas Venturi Capellanus.

PROMOTOR SYNODI.

Reverendiss. Dominus Abbas Antonius Franciscus Palmerini I. V. D. Protbonotarius Apostolicus Archipresbyter, & Vicarius Generalis.

PRædictæ Constitutiones, & Synodalia Decreta, à me Alexandro de Salvettis Pisano, Notarioque publico Florentino, ac Pisanæ Curiæ Archiepiscopalis Cancellario Generali, publicè in Primatiali Ecclesiâ Pisanâ, in Comitiis Synodalibus, coram Illustrissimo, & Reverendissimo Domino, D. Francisco Frosini, Patritio Pistoriensi, Sacri Romani Imperii Comite, Omnipotentis Dei, & Sanctæ Sedis Apostolicæ gratiâ, Archiepiscopo Pisarum, Insularum Corsicæ, & Sardiniæ Primate, ad universum Clerum ibidem legitimè, & servatis servandis, congregatum, altâ, & intelligibili voce perlecta, ab eodem, nemine discrepante, recepta, solitis, & consuetis acclamationibus, per verbum placet, et obsequenter acceptata fuerunt, Anno ab Incarnatione Domini Nostri Jesu Christi millesimo septingentesimo vigesimo quinto stylo Florentino, & 1726. more Pisano, Indictione Tertiâ, die verò Trigesimâ primâ Mensis Julii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, et Domini Nostri BENEDICTI Divinâ providentiâ Papæ XIII. & Serenissimo Joanne Gastone primo Magno Hetruriæ Duce septimo feliciter imperante: præsentibus ibidē, & audientibus A. R. D. Antonio Dominico de Martinis, & Dominico de Boscainis dictæ Primatialis Ecclesiæ Capellanis, & Ceremoniarum Magistris, nec non A. R. D. Antonio Ruscâ Sacerdote Intemeliensis Diœcesis, & Josepho Antonio de Bondis Sacerdote Pistoriensis Diœcesis, illo a Secretis, hoc Caudatario Dominationis Suæ Illustrissimæ, & Reverendissimæ Testibus.

Ego idem Alexander de Salvettis, qui supra, rogatus, ea ipsa Decreta in acta publica redegi, & propria manu de mandato &c. subscripsi, ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, & Beatissimæ Semper Virginis Mariæ.

Alexander de Salvettis J. U. D.
Cancell. Generalis Archiepiscopalis
de prædd. omnibus Rog. &c.

ADDI-

ADDITIONES
AD
TERTIAM
SYNODUM

ADDITIONUM AD TERTIAM SYNODUM

PARS PRIMA.

AD CAPUT I.

De Fidei Cultu, & Profeſsione.

CUm, tam in Secundâ, quam in hac Noſtrâ Tertiâ Synodo, debitam obſervantiam Conſtitutionis *Unigenitus* Sanctæ Memoriæ Clementis XI. omnibus indixerimus, placet hic ponere Epiſtolam Nobis è Gallia ſcriptam, reſponſumque illi redditum, ut magis, pateat, quam ſanctè veneratio erga dictam Conſtitutionem, & obedientia præſtanda ſit, quantâque cum ſollicitudine vigilandum, ut ab omnibus obſervetur.

JOAN.

JOANNIS CÆSARIS EPISCOPI NEMAUSENSIS ET REGIJ CONSILIARIJ &c. EPISTOLA

AD FRANCISCUM FROSINI S. R. I.

Comitem, Archiepiscopum Pisarum, Corsicæ, & Sardiniæ Primatem, & Sanctæ Sedis Apostolicæ Legatum Natum.
Dolet de silentio Episcoporum Italiæ adversus impugnantes Constitutionem Apostolicam.

ILLUSTRISSIME PRÆSUL.

QUantâ tempestate, a Jansenianæ doctrinæ sectatoribus, Catholica Fides in Nostrâ Galliâ jactetur, ignorare non potest Celsitudo Vestra, nostrisque, immò Ecclesię malis non condolere.

Debuerat quidem tam pestiferæ Hæresis monstrum, Sanctissimi Patris Nostri Clementis Papæ XI. Constitutione *Unigenitus*, quasi fulmine ictum, expirasse. Sed, proh dolor! vulneribus suis efferatius factum, & ab ipsis quasi vires sumens, Europam omnem seditiosis, schismaticisque clamoribus implevit. Nusquam certè venenum fædius, & ore impudentiori Hæresis evomuit, quàm in tot libellis, quos eâ super Constitutione Novatores ediderunt: ubi Episcoporum, ipsiusque Summi Pontificis dignitatem, tam indignis violavere conviciis. Nihilominus tamen perfidi, & duplici corde homines videri volunt obsequentes Ecclesiæ filii, & in ipsius sinu, ut eam crudeliùs dilacerent, ipsâ invitâ, remanere. Quos si audias, sinceram Ecclesiæ Decretis obedientiam præstant, ipsamque Constitutionem *Unigenitus* acceptarent, si illam acceptasset Ecclesia. Scilicet, inquiunt, excepto Clero Gallicano, aliarum Ecclesiarum Episcopi prædictam Constitutionem fortaſsè ne legerunt quidem. Sacra Inquisitio illam quibusdam in locis promulgandam curavit, sed insciis Episcopis, aut minimè consentientibus. Siqui Episcopi Constitutionem hanc legerunt, ipsius sensus, debitâ attentione, non inspexerunt; ut potè qui, quum Summum Pontificem infallibilem plerique credant, ipsius definitiones ne curent quidem inspicere. Tales, & alias id genus calumnias Novatores impu-

impudenter effutiunt, quas quidem Theologi Catholici invictis diluerunt argumentis, & nos, quàm vanæ sint, & insulsæ, compertum habemus. Hi tamen rumores, quantumvis insani, credulas aures, ut fit, quum pestifer Hęreseos flatus vehementiùs spirat, nanciscuntur, & infinitam prope hominum multitudinem in errorem inducunt.

Tot animarum pereuntium miseratione commoti, vestram, ignoti quidem, at in Episcopatu Fratres, sincero cœterum obsequio ergà vos commendabiles; vestram, inquam, sollicitamus charitatem; vosque obsecramus, ut ad refellendas, quibus infirmi seducuntur, calumnias, auxiliarem Nobis commodetis operam.

Sunt plerique Catholicæ Fidei adhuc retinentiores, quâm ut ab Ecclesiæ velint sinu divelli. Sunt & nonnulli è nostratibus Episcopi, pietate alioqui, doctrinâ, multisque titulis conspicui, qui è silentio vestro, quasi tacere, reluctari sit, nobiscum dissentiendi causam sibi desumunt. Neque enim eos esse crediderim, qui suam, paucorum scilicet auctoritatem, explorato universitatis concentui anteferre præsumant. Sunt demùm Fidelium multi, qui eorum, vestrumque, ut opinantur, exemplum unanimitati nostræ obijcientes, hærent incerti animi, vestramque sententiam, tanquam ei accedere parati, præstolari videntur. Adjuvate nos, ut liquidiùs ijs omnibus demonstremus, Pontificium Decretum totius Ecclesiæ consensum obtinuisse. Vestrum quidem id satis loqueretur silentium ijs, qui norunt, omnibus in solidum Episcopis, depositum sanæ doctrinæ creditum esse. Ad vos namque pervenit, vel ipsis nota Novatorum ululatibus, si aliundè incognita esse potuisset, Constitutio *Unigenitus*, nec ita parum zelati estis pro Domino, ejusque Domo, ut tacituros vos esse, absque insaniâ, cogitari possit, si Decretum illud, Fidem, Mores, Disciplinam Ecclesiæ, omnemque germanam Traditionem funditùs, ut loquuntur, everteret. Sed debitores sumus Sapientibus, & Insipientibus. Suppeditate Nobis, unde Magistrorum erroris contumaciam frangamus. Id feceritis, si, quod non revocamus in dubium, datis tamen, idque quantocius, ne spurius adeo sermo in dies, ut cancer serpat, literis, confirmetis, vos, aliosque vestræ Provinciæ Episcopos Doctrinã, & Traditionem Ecclesię, in Constitutione præfatâ, agnovisse, uti nos quoque agnovimus.

Tam

Tam luculentum Teſtimonium, novus, & inconcuſſus erit veritatis de errore triumphus: erit purus quaſi luminis radius, quo affulgente, tenebræ, quas hocce in Regno Spiritus erroris denſiſsimas offundit, diſcutientur, quique ſimpliciores luce ſuâ percellens, ab erroris ſemitâ in viam veritatis reducet, atque adeò conſervata Eccleſiæ Cotholicæ Gallia, veſtri quoque pars erit laboris, ac meriti.

Hoc à vobis, Illuſtriſſime Præſul, officium, pro veſtro erga Religionem Catholicam ſtudio, enixè petimus, & magnâ cum fiduciâ ſperamus: Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum humillimè deprecantes, ut uberrimis vos gratiarum donis ornet, & augeat, Ovibus veſtris, ut pote ſuis, Bonus Paſtor invigilans, ſingulas ab infeſtis pabulis avertat, univerſumque Gregem, ut ſedulus, ac docilis vocem veſtram audiat, quo ſibi purus, & integer exiberi poſſit, informet. Hæc fauſta vobis adprecatur ſingulari cum obſervantiâ, Illuſtriſſime Præſul.

Celſitudinis Veſtræ.

Nemausi pridiè Idus Aprilis 1718.

Humillimus, & Obſequentiſſimus Servus

Joannes Cæſar Epiſcopus Nemauſenſis.

FRAN-

FRANCISCI FROSINI

Archiepiscopi Pisarum, Corsicæ, & Sardiniæ Primatis, & Sedis Apostolicæ Legati Nati.

RESPONSIO

Ad Illustrissimum, & Reverendissimum Dominum

D. JOANNEM CÆSAREM EPISCOPUM NEMAUSENSEM REGIUM CONSILIARIUM &c.

Illustrissime, & Reverendissime Præsul.

QUo tempore, Diœcesis visitationem in remotis maritimis oris instituteram, ubi Oves procul ab oculis Pastoris magis indigent visitari, codē redditæ mihi fuerunt acceptissimę Literæ Dominationis Vestrę Illustrissimæ, quibus, si non celeritate, quam tunc occupationibus impeditus necessarjis præstare non potui, obsequio saltem nunc, & Ecclesiasticâ, quâ debeo, libertate rescribo.

A primis diebus, quibus in vestrâ Galliâ, Illustrissime Præsul, schismata inter Fratres exorta audiebantur, quæ, longiùs progrediendo, Ecclesiæ unitatem conscindere facilè potuissent, intimo cordis angebamur mærore. At exaudientes subinde majora in dies fieri, ac obstinari, eorum vitio, culpâque, qui debitum subjectionis obsequium Apostolicæ Sedi denegantes, multitudinem sibi credentium, in falsas opiniones, ac turbulentos secū trahunt errores, acriùs, ac vehementiùs dolemus, animumque stimulat Nobis, ac pungit, quòd in florentissimo Galliarum Regno, cujus olim Religiosissimi Episcopi, Romani Pontificis Definitiones, veluti Fidei Symbolum, se suscepisse ad D. Leonē Magnū (a) scribentes profitebantur, nunc Apostolicę Sedi, quæ dolosis, ac pestiferis Quesnelli Thesibus, venenumque sub melle propinantibus, ne pravâ earumdem calliditate Catholica inficiatur Religio, Sanctissimis occurrit Decretis, merita contendatur obedientia: Et ubi, ne Petrus Abaylardus, qui tunc temporis insurrexerat, suam prolongaret iniquitatem,

(a) Post Epist. 51. D. Leon.

(b) Epist. 191.

Innocentium II. apud Bernardum sic alloquebantur: (b) *Tuum est, Beatissime Pater, providere, ne in diebus tuis aliquâ hereticæ pravitatis maculâ decor Ecclesiæ maculetur: Tibi commissa est Sponsa Christi: Tuum est uni viro Virginem castam exhibere Christo*: ibi nunc Sanctissimo Patri, & Domino Nostro Clementi XI., qui simili contagio, ne puritas Fidei deturpetur, celeri obsistit remedio, auscultare recusent; Professionemque in postremo Lateranensi Concilio à Gallicanis Prælatis firmiter emissam obliti, (c) *Talem nimirum gerendi voluntatem erga Sedem Apostolicam, ut ab illius unitate numquam voluerint, nec in futurum velint discedere, nec schismaticos umquam fuisse, sed unam Ecclesiam Catholicam, sub uno Pontifice Maximo coluisse, & observasse*: Modo nonnulli ex ijs ab illius unitate sejungi, tam pertinaci scissurâ non reformident: Ita ut in hoc eodem Regno, quod, *tutum Ecclesiæ Asylum* vester Abbas Sugerius; *Portum Romanæ Ecclesiæ fluctuantis Naviculæ Petri*, noster vocabat Cardinalis Baronius, (d) Ecclesia ipsa amplius tuta non sit, & graviter incipiat Petri Navicula periclitari.

(c) Sess. 9. in Excusat. Prælat. Gall.

(d) Anno 1118. n. 14. Tom.

Vestris igitur, immo totius Ecclesiæ condolemus malis, eòque magis, quòd sub falsâ pietatis specie latentia, quanto facilius serpunt in Populis, tanto difficilius curantur. Habemus tamen quo Nos consolemur; quod non desint in Galliâ Sanctissimi Episcopi, qui scientes, *omnes Apostolicæ Sedis Sanctiones*, ex decreto Agathonis Pontificis (e) *accipiendas esse tamquam ipsius D. Petri ore firmatas*, reverenti, & læto corde Constitutionem *Unigenitus* recipientes, gratias etiam Sanctissimo Domino Nostro humiliter egerint, quòd tam celeri, ac salutari remedio, huic ex Jansenianis radicibus nondum funditus evulsis renascenti morbo mederi curaverit (f).

(e) Can. sic omnes. dist. 19.

(f) Liter. Card. Archiepisc. & Episc. Gall. in urbe Parisien. Congr. ad Clement. XI. die 18. Septem. 1713.

At verò ut hanc vestram, Illustrissime Domine, in Apostolicam Sedem filialem devotionem, ac obedientiam meritis laudibus exornare non possumus, sic valde mirari, atque adeò indignari cogimur ijs, qui submissionē nostram, quâ prædictam Constitutionē pari voluntatis, & intellectus veneramur obsequio, mentitâ silentii quasi reluctantis calumniâ criminantes, quibus artibus venenum sub mellitis

ser-

fermonibus condunt, iifdem fuam quoque pertinaciam fub hoc fpeciofo fuco obtegere nitantur. Quare licet inane hoc refugium corruat ftatim, ac noftrum fenfum intelligitis, permittatis tamen, ut in obfequium Fidei, ac veritatis, longiûs, etiam quam opus effet, omnia, quæ objiciuntur, refellamus.

Et quidem Paftorale Noftrum minifterium hoc injuriofo, quem fpargunt, rumore non parum lædunt, dum ad excufandas excufationes in peccatis Unanimitati Veftræ, prædictam Conftitutionem fortafse Nos ne legiffe quidem, objiciunt. At verô & eam legimus, & ftatim, quemadmodum audito Petro: (*g*) *omnes tacuerunt, ac glorificaverunt Deum*; Sic nos, audientes in eâ per os Clementis Petrum loquentem, tacuimus, & Deum glorificavimus, quod Nobis talem Paftorem dederit, qui pro univerfo Dominico Grege affiduè vigilans, dum primum mortifera hæc pafcua Janfeniano veneno plena è fpeculâ Vaticani detexit, ne Oves quas illi Chriftus, cujus Vicarius eft, pafcendas commifit, fpeciosâ fraude deceptæ miferrimè inficerentur, authoritate, quam habet à Deo, damnavit, ac reprobavit.

Et dum confortabatur cor noftrum, quod hæc tam falutaris Conftitutio fuerat in folemni Conventu à Clero Gallicano, & a Sacrâ Facultate Theologicâ Parifienfi in comitijs habitis in Aulâ Sorbonæ (*b*) reverenti fubmiffione recepta, literis pro ejus executione ad omnes Regni Prelatos expeditis; Quod eam filiali obfequentis animi affectu Facultates Theologicæ Duacenfis (*i*), & Lovanienfis (*k*) amplexę fuerant, literis ad fe invicem miffis; Quod eam, quâ par erat veneratione receperant Sacra Facultas Theologica Muffipontana, (*l*) celebris Academia Salmanticenfis, [*m*] nec non Sacra Facultas Theologica Conimbricenfis [*n*] juramento ab omnibus dictæ infignis Academię præftito pro filiali obfervantiâ ejufdem Conftitutionis;

Quumque exultaret Spiritus nofter ob tot Epifcoporum fupra centum Paftoralia mandata, in quibus Catholicæ Religionis zelus fervet, ac lucet; Quantum nos afflixerit, quôd vix fuccifis fpinis, & tribulis in Agro Dominico, novi fuccreverint, & obedientia fummo Patrifamilias, qui eos Paternâ folicitudine fuccidere varijs decretis curavit, in eâ-

(g) Act. Apoft. cap. 11. V. 15.

(b) Liter. ad Clemen. XI. 8. Sept. 1713. liter. ad omnes Præl. Regni die 5. Feb. 1714. Decret. (i) Declarat. Sacr. Facult. Theolog. Duacen. die 17. Aug. 1714.

(k) Die 2. & 8. Jul. 1715.

(l) In comit. hab. die 20. Julij 1715.

(m) Lite. ad Clem. XI die 19. Aug. 1716. ad Ca din. de Rohan die 19. Aug. 1716. ad Card Boffuet ad Card. de Janf. eod die.

(n) In comit. hab. fub die 7. & 9. Janu & fub die 4 Feb. 1717. liter. ad Clement. X. fub die 9. Feb. eod. Anno.

dem Galliâ, ubi præstita fuerat, nunc denegetur; nihil opus est, ut Vobis enarremus, qui, præsentibus malis quantô majora succedere possint, agnoscitis.

Dissimulare tamen non possumus, quàm acerbè, Illustriss. Præsul, feramus, quod apud eos, qui ad suã Pontificię auctoritati rebellem voluntatem oculos habent, neque vident penitus obcœcatam, non contenti foris effutisse, quod non legerimus, audeant, divinantes mendacium hanc nobis immeritam notam insuper inurere, quod, ni palam, ut ipsi, loquaci saltem silentio, prędictam Constitutionem oppugnemus.

Redeant ad cor, & seriò animadvertant, quam excusationem coram Deo, qui per Pontificem loquitur, habere poterunt, quum nolentes recordari Episcopos olim Galliarum in Concilio Pontigonensi decrevisse [p]; *Quæ secundum Sacrum suum Ministerium Apostolicâ auctoritate Spiritualis Pater Noster, & universalis Papa decreverit, cum summâ veneratione suscipiantur, & debitâ illi obedientiâ in omnibus observentur;* Et novissimè ad Innocentium X. scripsisse [q] *Judicia pro sanciendâ regulâ Fidei à Summis Pontificibus lata super Episcoporum consultatione, (sive suam in actis sententiam ponant; sive omittant, prout illis collibuerit) divina aequè, ac summâ per universam Ecclesiam auctoritate niti, cui Christiani omnes ex officio ipsius quoque mentis obsequium præstare tenentur;* nec etiam tot doctissimarum Universitatum, tot Sanctissimorum Episcoporum vocem, quæ clamat ad Dominum adversus eos, audire, nec eorum exemplo pervicacem intellectum veritati, cui resistunt, submittere voluerunt.

Considerare tandem debuissent, priusquam tam audacter obloquerentur, quod si prędictam Constitutionem non legissemus, possent nos arguere de neglectu, & incuriâ: Nos verò, illos, qui habent, & renuunt observare, de temeritate debemus corripere, & increpare. *Si Decreta Romanorum Pontificum non habetis*, scripsit Nicolaus I. ad Photium *de neglectu, atque incuriâ estis arguendi. Si vero habetis, & non observatis de temeritate estis corripiendi, & increpandi (r).*

Nec minus, immò gravius (Illustrissime Præsul) Nostræ detrahunt vigilantiæ adjiciendo, quod si aliqui ex Nobis

[p] Can. 1.

[q] Epist. Archiep. & Episc. Gall. ad Innoc. X. die 15. Jul. 1653.

(r) Can. si Decreta d. st. 10.

legerunt hanc Constitutionem, ipsius sensus debitâ attentione non inspexerunt: perinde, ac Nobis oculi adeo cęcutiant, ut mortiferum virus, quo damnatæ propositiones aspersę sunt, non illico detegere, ac perspicere valeamus; & munus nostrum, quo tenemur Diœcesim ab erroribus expurgare, eò usque negligamus, ut ne illos quidē, de quibus Pontifex Paternâ suâ providentiâ nos admonet, animadvertere curemus, nec pretioso deposito, quod Nobis creditum est, attendamus.

Inspeximus tamen, quò tendat hoc, de quo in crimen, & invidiam adducimur. Nostrum non est, ut suum facere ipsi temerè intendunt, Definitiones Pontificias examinare: Nostrum est exequi, non disputare. Sat semper Nobis fuit, & erit Pontificem è Cathedrâ loqui, ut ejus verbis debitâ obedientiâ non minus intellectum, quam voluntatem submittamus. *In verbis Apostolicæ Sedis*, (s) admonet nos Augustinus, *antiqua, atque fundata; certa, & clara est Catholica Fides, ut nefas sit dubitare Christianis*. Ad Nos tantum attinet, pro Pastorali Nostro munere obeundo, si quæ in rebus Fidei, ac morum occurrunt, pro salute ovium Nobis creditarum, emendanda, quæ quidem gravioris momenti sint, ac meritò inter majores Ecclesię causas numeranda videantur, ea Apostolicæ Sedi proponere, & illius expectantes judicium, quidquid ad puritatem Fidei tuendam ab eâ decernitur, sincero, ac reverenti corde recipere; Apostolicasque literas, *ut a summo Apostolorū vertice divinitus conscriptas* [t] (cum Patribus sextæ Synodi) non minus promptè, quam obsequenter agnoscere.

(s) Epist. 157.

(t) Act. 18.

Hoc Nos docuerunt non solum veteres Galliarum Episcopi ad Nicolaum I. scribentes: *Apostolicis documentis, & Pontificalibus decretis multipliciter informamur, ut Sanctissimum Apostolatus apicem Principis Apostolorum fide, & nomine consecratum, quoties Sancta Ecclesia aliquâ novitate pulsatur, humiliter adeamus; ibique veri consilij saluberrima instituta sinceriter hauriamus, ubi mitis Magister Christus, & Summum caput nostrum, fundamentum Ecclesiæ posuit:* (u)

(u) Apud Baron. An. 862. num. 45.

Verum etiam recenti tempore Nos docent unanimi declarantes consensu literis ad Innocentium X. datis: (x)

(x) Epist. Epis. Galli cui octuaginta. subscrip.

Quod

Quod majores causas ad Sedem Apostolicam referre, solemnis Ecclesiæ mos est, quem Fides Petri numquam deficiens perpetuò retineri pro jure suo postulat. Nos etiam docuerat D. Bernardus (*y*); *Oportet* (scribit ad Innocentium II.) *ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque, & scandala emergentia in Regno Dei, & præsertim, quæ de Fide contingunt, dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna Fidei, ubi Fides non possit sentire defectum:*

(y) Epist. 190.

Ideoque velle, quod Pontificia decreta de rebus Fidei, ac ad mores spectantibus debeant ab Episcopis omnibus acceptari, est detrahere Divinæ promissioni, cum non ab eâ, positâ tali necessitate, sed ab Episcoporum approbatione, certitudinem, ac infallibilitatē haberent. Et Christus, cum rogavit, ne deficeret Fides Petri, super quo ędificavit Ecclesiam suam, exauditus non fuisset, qui tamen pro suâ reverentiâ exauditus fuit; [z] dum, ut certi essemus, quod in Pontificijs definitionibus Fides non defecisset, necessarius esset Episcoporum assensus: pro quorum Fide, numquam in Evangelio legimus Christum rogasse: *Hec est*, (increpat eos Bernardus) *Hec est hujus prærogativa Sedis: cui enim alteri aliquando dictum est: Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat Fides tua?* (*a*)

(z) D. Paul. ad Hebr. cap. 5. ver. 7.

(a) Epist. 190.

Detraheretur quoque Divinę Sapientię, quæ omnia suaviter disponit, quum Ecclesiæ, quam acquisivit Sanguine suo, eam formam Regiminis dedisset, quâ opportunè hæresibus, aliisque malis, quæ prævidebat adversus eam suboritura, occurri non potuisset Quotiescumque enim Pontifex, quem Caput Ecclesiæ constituit, plenâ potestate destitutus esset, quâ Novatoribus resisteret, eorumque errores, pravasque opiniones in ipsis in cunabulis, absque consensu Conciliorum, vel Episcoporum acceptatione, suffocaret, cum dificillimè Concilia, multoque temporis desluxu convocentur, & ab Episcopis omnibus per totum Orbem sparsis majori difficultate, ac temporehaberi possit consensus, & acceptatio, inter schismaticæ persecutionis fluctus, perpetuis dissidijs ageretur Ecclesia, pósitaque esset in magno periculo, ne, deficiente eminenti potestate, quæ de rebus controversis judicium facere, ac sententiam dicere posset,

tot,

tot, ut considerabat Hieronymus, *futura essent schismata, quot Sacerdotes*. Ita sentiunt communiter Patres: Ita Praxis, veritatis Magistra, ab ipsis usque nascentis Ecclesiæ primordijs demonstrat: Ita Summus Pontifex Gelasius [*b*] omnibus Episcopis declaravit, & ejus declarationem citavit Nicolaus (*c*) in Epistola ad Episcopos Galliæ: *Apostolica Sedes sine ullâ Synodo præcedente, & solvendi, quos Synodus iniquè damnaverat, & damnandi nullâ existente Synodo, quos oportuit, habuit facultatem, & hoc nimirum, pro suo Principatu, quem Beatus Petrus Apostolus Domini voce, & tenuit semper, & tenebit*. Et ita Nos sentimus, & non minus calamo, ac voce, quam sanguine, ob veram obedientiam, quam Romano Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Jesu Christi Vicario spopondimus, ac juravimus, asserere, & propugnare non formidamus.

(*b*) Can. cuncta 17. c. 9. quæst. 3.

(*c*) D. can. cuncta; in corr. Rom.

Quamobrem, obstrepant Novatores, ac disseminent Nos hujus Constitutionis ignaros; dummodo non redarguat Cyprianus, quòd ab Ecclesiâ recesserimus: *Qui Cathedram Petri, super quâ fundata est Ecclesia deserit, in Ecclesia se esse non confidat* (*d*).

(*d*) Cypr. de Unit. Eccl. in can. qui Cathedram dist. 93.

Insimulent, quod non legerimus; dummodo nos à Catholica Communione Zosimus Pontifex non reijciat: *Si quid contra hæc tentaveris, Catholicâ Communione discretus, serò de illicitis ingemisces* (*e*).

(*e*) Epist. ad Episc. Narbonen.

Dicant eam minime intellexisse, dummodo inter Catholicos nos recipiat Gregorius VII. *Catholicus non habeatur, qui non concordat Romanæ Ecclesiæ* [*f*].

(*f*) In Decret. can. 26.

Redarguant, quod eâ, quâ debemus, observantiâ definitiones Apostolicas recipientes, nec inspicere quidem illas, ne dum considerare curemus, dummodo ipsi Gallicarũ Episcopi sui Religiosissimi Prædecessores nequeant Nobis objicere: *Quod post acceptam veritatem aliquid amplius quærentes, mendacium quæramus* (*g*).

[*g*] Epist. Archiep. & Episc. Gall. ad Alex. VII. die 10. Febr. 1661.

Clament tandem voce, quâ ab omnibus audiantur Catholicis, Nos ex illis esse, qui Pontificem infallibilem credunt: De hoc querelam non habemus; immò volumus etiam illis gratias referre, quòd ita sentiant de Nobis, qui Domino auscultantes unicuique nostrũ dicenti: *Ne* (*h*) *transgre-*

(*h*) Prov. cap. 22. Vers. 28.

gre-

grediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui: quod illi crediderunt, & Nos credimus, neque nunc ad has, nunc ad illas transeuntes sententias, vetera novis mutamus, sed constanti animi demissione solam Fidei veritatem diligimus, *Quam Beatus Petrus, qui in propriâ Sede vivit, & præsidet, præstat quærentibus eam* (*i*).

A Divo Petro propterea quærendam esse, declararunt tot Summi Pontifices, qui totius Orbis Magistri, ac veritatis Assertores, timendum nullatenus est, ne Populum sibi creditum à Deo, doctrinam non veram, erroresque docere voluerint suis literis, ac decretis: immò temerarium esset hoc in controversiam adducere, dum plures ex illis Fidem, pro quâ infallibili voce è Cathedrâ respondebant, proprio Sanguine confirmarunt, *Et usque ad mortem suorum corporum* (ut verbis Augustini loquamur) *pro veritate certarunt* (*l*).

Dixerunt tot Concilia Generalia, Calcedonense sub Leone Magno, Constantinopolitanum III. sub Agathone, Nicęnum II. sub Hadriano I. Constantinopolitanum IV. sub Hadriano II. Lugdunense II. sub Gregorio X. Viennense sub Clemente V. Florentinum sub Eugenio IV. Lateranense V. sub Julio II. inchoatum, & sub Leone X. absolutum, Tridentinum sub Paulo III. similiter inceptum, & sub Pio IV. feliciter completum: quibus Conciliis a Sede Apostolicâ approbatis, & ab universali Ecclesiâ receptis, infallibilis Pontificum auctoritas in rebus Fidei, ac morum definiendis, ut bonâ fide legentibus liquet, satis apertè evincitur, & efficaciter demonstratur.

Senserunt tot Patres Sanctitate, ac doctrinâ venerabiles, inter quos sat est indicare Cyprianum, (*m*) Ambrosium, [*n*] Hyeronimum, [*o*] Augustinum, (*p*) Cyrillum Alexandrinum, (*q*) Flavianum, (*r*) Fulgentium, [*s*] quibus lectis eâ attentione, quam in Nobis dicunt desiderare, non tam parvi eorum ducant auctoritatem, ut illis Edmundum Richerium, Simonem Vigorium, Ludovicum Maymburgum, Ludovicum Ellies, Dupinum, aliosque similis farinæ homines preferre non erubescant; quum D. Augustinus [*t*] adversus Pelagianos, Theodoretus (*u*) adversus Apellinarem, Basilius [*x*] contra Eunomianos, Hieronymus

[*i*] Petr. Chrisolog. ad Eutich. Presbit. Nicol. I. in Resp. ad Consult. Bulgar. cap. 105.

(*l*) De Civit. Dei libr. 8. cap. 27.

(*m*) Epist. ad Pleb. 40. ad Cornel. fratr. 55. & de Unit Eccl. Cath.

(*n*) Orat. in Mort. Fratr sui Satyr. & Epist. 11. ad Ageruch.

(*o*) Epist. 57 & 58. ad Damas Papā Epist. 8 ad Demet c. 9

(*p*) Contra Jul. Pelag. lit. 1. cap. 4. lib. 2. contra Pelag & celest cap 7

(*q*) Epist. ad Cælestin. Pap

(*r*) Epist. ad Leon. Pap.

(*s*) Libr. de Incarn. &c.

(*t*) Lib. 4. contra 2. Epist. Pelag.

(*u*) Dial. 1. 2. & 3.

(*x*) Libr. de Sp. San. c. 29.

mus (z) contra Jovinianum, Patrum testimonijs utantur; nec non Patres Concilij Constantinopolitani III., quos despicere Novatores non deberent, cum tanti faciant auctoritatem Conciliorum, fatentur: *Omnino necesse est, secundum sensum sequi Sanctorum Patrum dogmata, sed & iisdem vocibus cum illis, nilque penitus innovari.* [a]

Agnoverunt hanc veritatem Valentinianus Junior, (b) Marcianus, (c) Justinianus, (d) & Andronicus (e) Imperatores, Kemulphus Rex Merciorum (f) Carolus Magnus, [g] Lotharius, (h) & Ludovicus XI [i] Francorum Reges, quos stantes adversus se ante Tribunal Domini Novatores videbunt. Videbunt presertim Valentinianum, qui, ne *in aliquo minui religionis disciplina videretur, Episcopis Gallicanis babendum esse pro lege quidquid sanxit, vel sanxerit Apostolica Sedis Auctoritas, perenni sanctione decrevit*: Videbunt Ludovicum XI., qui scribens ad Pium II., eumque *in Vicarium Dei agnoscens*, protestatus fuit nomine suorum Episcoporum: *Quod, sicut hominum membra, nullâ contentione, capite uno, atque unâ mente ducuntur, ita, sacris ejus Decretis, Ecclesiæ Prælati, in Regno suò, et Delphinatu, consonantiam, & obedientiâ plenam refunderent*: quandoquidem auctoritatē Summi Pontificis, quam illi venerati fuerunt, audent hi, qui ex proprij muneris officio tenentur propugnare, in eodem Galliarum Regno, tam injuriosâ pertinaciâ elevare, illisque, tantâ universalis Ecclesiæ perturbatione, resistere, & adversari.

(z) Apologetico libr. in Jovin. in fin.
(a) Act. 12.
(b) Apud Baron. an. 445. n. 9. & 10. Inter. Novell. Theod. Tit. 24. de Episc. Ord.
(c) Baron. An. 450 n. 12.
(d) L. 8. C. de Sum Trin. & Epist. ad Hormi.
(e) Epist. ad Joan. 22. penes Eug.
(f) Epist. ad Leon. 3. apud Baron. Ann. 796. n. 18.
(g) Can. 3. dist. 19.
[h] Epist. ad Nicol. I. apud Baron. A 860. n. 27. & 864. num. 24.
(i) Epist. ad Pium II. inter eas ejusdem Pontif. Epist. 388. die 29. Nov. 1461.

Docet inviolata observatio, quæ semper in Ecclesiâ viguit, ut supremâ auctoritate Pontificis, sine ullâ Concilij convocatione, Hæreses damnarentur, & damnatę, statim unanimi Fidelium, ac omnium Ecclesiarum consensu, ut tales execrentur. Hujus praxis, D. Augustini, usque ad ejus tempora, testimonium habemus, qui contra Pelagium ab Innocentio I. damnatum, & Concilium petentem, *Ferè ac* (l) (respondit) *nulla hæresis aliquando, nisi Synodi congregatione, damnata sit, cum potiùs rarissimæ inveniantur, proptèr quas damnandas necessitas talis extiterit, multoque sint, ac incompatabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illic improbari damnarive meruerunt, atque inde per cæteras terras devitandæ,*

(l) Contra Epist. 2. Pelag. lib. 4. c. 12 in fine.

G *inno-*

innotescere potuerunt. A temporibus vero Divi Augustini usque ad nostra, testis ejusdem praxis esse potest, quicumque res, historiasque Ecclesiasticas, primoribus etiam, ut dicitur, labijs attigerit.

Tandem intellectum ratio ipsa devincit. Si enim necessariò exigerentur Concilia, ut Pontificum Definitiones infallibilitatem haberent, concedendum necessariò quoque esset, Pontificē errare posse, non vero Concilium: Prætereà communis Catholicorum omnium consensus est, confirmanda a Summo Pontifice esse Concilia. At, quid rationi [quæso] repugnantiùs, quàm, ut quis confirmet sententiā ejus, à quo debet ipse infallibilitatē recipere? Sic certe D. Petrus, ejusque Successores, qui debent ex mandato Christi confirmare [m] Fratres suos, perverso ordine, confirmari ipsi a Fratribus indigerent.

(m) Luc. cap. 22. vers. 32.

Hinc; licèt cum eodem Clero Gallicano expediri facilè potuissemus verbis Divi Augustini, ad clamores reprimendos, quibus Novatores Ecclesiæ pacem perturbant, respondentes; (n) *Causa finita est, utinam finiatur, & error;* vel proprius ad rem cum eodem D. Augustino: *Quid adhuc quæritis examen, quod jam factum est apud Apostolicam Sedem? Ergo Heresis non adhuc examinanda, sed coercenda Potestatibus Secularibus;*

(n) Serm. 2. de Verb. Apost. c. 10. lib. 2. oper. imperf.

Attamen, ut cognoscant illi, qui Nos cęcæ assertionis accusant, cadere hic Evangelium illud; *Quod non videntes vident, & videntes cæci fiunt;* patiatur eximia Humanitas Vestra (Illustrissime Præsul), qui pietate, ac doctrinâ conspicuus, melius hęc posses docere, ut aliquod lumen etiam Nos illis præferamus, quo perspiciant, se contra supremam Sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritatem, Andabatarum more, digladiari: forsan lucem reperientes non expectatam, ubi tenebras credebant, voluntariam cæcitatem minus poterunt excusarè.

Ad hoc autem obtinendum, quemadmodum Sanctissimus Pontifex Leo I. (o) ad expurgandam ab erroribus Alexandrinam Ecclesiam, sapientissimo consilio illam ad Athanasium, Theophilum, Cyrillum, & alios venerabiles Patres, qui in eâdem floruerunt, provocavit: (ex quo infert celeberri-

(o) Epist. 69. Matian. Imp.

berrimus Auctor (*p*): Hoc unum exhibitum Alexandrinæ Ecclesiæ remediū, satis esse posse ad expugandas heresibus omnibus cunctas Ecclesias, provocando nimirum singulas ad illos Doctores, qui in eis doctrinâ, & sanctitate claruerunt (*q*). Ita Nos provocamus Novatores, ad eorum veteres Patres, qui lumine sanctitatis, ac doctrinæ religiosissimam (*r*) Galliam ornaverunt. Et, ne modum Epistolæ longiùs transcurramus, ponimus illis sub oculis tantùm legendum Irenęum Episcopum (*q*) Lugdunensem, quem doctrinarum omnium accuratissimum exploratorem dicit Tertullianus: (*r*). Alcuinum [*s*] Caroli Magni Pręceptorem, ac primum Academiæ Parisiensis Institutorem, quem in scripturis Divinis eruditissimum vocat Trithemius: (*t*) Lanfranchum Archiepiscopum Canthuariensem, eximium ejusdem Academiæ Cathedrarium, quem omnium sui temporis doctissimum dicit Platina [*x*]: Ivonem Carnotensem [*z*] Episcopum, quem, lucernam ardentem, perspicuam universo occidentali orbi super candelabrum collocatam, appellat Baronius (*y*): Petrum Cellensem (*a*) Episcopum pariter Carnotensem, quem ob ejus doctrinam, ac pietatem nuncupat venerabilem virum Joannes Sarisberensis, [*b*] cui idem Petrus in Episcopatu successit: Divum Bernardum, (*c*) singulare sui sæculi decus, cujus admirabilē Sapientiam Lutherus (*d*) ipse admiratus, omnibus Patribus anteponere non dubitavit: Albertum (*e*) Magnum, celebrem in Academiâ Parisiensi Magistrum, quem Divinarum rerum pauca, humanarum fortasse nulla latuisse, scribit Sixtus (*e*) Senensis: Divum Thomam, (*f*) Magnum Academię Parisiensis, maximum verô Ecclesiæ Catholicæ luminare, cujus doctrina Salvatoris Crucifixi ore mirabiliter probata [*g*] fuit: Divum Bonaventuram (*h*) ejusdem Academiæ fulgidū ornamentū, cujus doctrina in Concilio Lugdunensi maximè spectata, in Florentino ad res arduas explicandas adhibita, gravissimorum virorum auctoritate commendatur (*i*).

Mittimus illos ad Concilia ab eorum Patribus in Gallijs, habita, Aurelianense [*l*] Anno 536. Turonense [*m*] Anno 570. Trecense (*n*) Anno 867. Pontigonense (*o*) Anno 876. Parisiense (*p*) Anno 1526. Senonense Anno 1527. [*q*].

(*p*) Baron. Anno 454. num. 4. 5.

(*q*) Lib 3. contr. Heref. cap. 3.

(*r*) Advers. Valen. cap. 5.

(*s*) Lib. 1. de Divin. Offic. cap. 19. Ep ad Hadr.

(*t*) De Script. Eccles.

(*u*) Tract. de Eucharist contra Bereng.

(*x*) In vita Nicol. 2.

(*z*) Epist. 8. ad Richer. Senonen. Archiepisc.

(*y*) Anno 1092. num. 2.

(*a*) Epist. 3.

(*b*) Epist. 175. ad Henric. Comit.

(*c*) Epist. 190.

(*d*) Coll. Menstr. cap. 30.

(*e*) Biblioth. lib. 4.

[*f*] 22. q 2. Art. 10. Opusc. 1. contra Error. Græcor in Symb. Apost Quod lib. 23. Art 6.

[*g*] S. Pius V. Constit. 36.

(*h*) In Brevil. 6. part. 1. cap. 4. Exposit. Regul. S. Franc.

(*i*) Sixtus V. Constit. 75.

[*l*] Can. 20.

(*m*) Can. 21

(*n*) In Epist. ad Joan. 8.

(*o*) Can. 1.

[*p*] Artic. 137. in Monit. ad Archiepisc. & Episcop. Regni.

(*q*) In uno ex Decret. contra Luther.

Proponimus illis reverenti oculo inspiciendas tot decretales Literas, quas Summi Pontifices Callistus (r), Eusebius, (s) Lucius, (t) Cœlestinus, (u) Bonifacius, (x) Leo, (y) Gregorius, [z] omnes Sancti, ac nomine primi ad Episcopos Galliæ, Innocentius [a] ad Exuperium Episcopum Tholosanum, Zosimus [b] ad Hilarium Episcopum Narbonensem scripserunt.

Hisque gravissimis, ac domesticis testimonijs, mente non præoccupatâ, perpensis, si ad veritatem inceperint revocare rationem, non dubitamus, quin fateri cogantur, verum esse, quod de Cleri Gallicani obedientiâ, infallibilibus Pontificum definitionibus; usque ad sextum sæculum testatur Hormisdę Papæ S. Avitus Episcopus Viennensis: (c) *Securus non dicam de Viennensi, sed de totius Galliæ devotione, polliceor, omnes super statu Fidei vestram captare sententiam.* Quod scripsit ad Ludovicum Galliarum Regem, hoc nomine septimum, Alexander III. (d) *Gallicana Ecclesia, inter omnes alias Orbis Ecclesias, numquam à Catholicæ Matris Ecclesiæ unitate recessit, numquam ab ejus subjectione, & reverentiâ se subtraxit.* Tandem, subsecutis temporibus, in Gallijs, ne dubitatum quidem de Pontificis infallibilitate fuit, quemadmodum testati fuerunt Innocentio II. Galliarum Episcopi: (e) *Nulli dubium est, quod ea, quæ Apostolicâ firmantur auctoritate, rata semper existunt, nec alicujus deinceps mutari possunt cavillatione, vel invidiâ depravari.* Quod, hac veritate non nisi post Concilia Constantiense, & Basileense in controversiam revocatâ, *omnes Anteriores unanimiter docuerunt, Definitiones Pontificias absque Concilio Generali editas, facere rem de Fide,* ut Teophilus Raynaudus (f) unus & ipse ex scriptoribus Gallis testatur.

Et profectò quidquid garriant Novatores, etiamsi adversus eos excitare non curemus Dominicum (g) de Raconis, Nicolaum Coffeteau, (h) Henricum Spondanum, [i] Petrum [l] de Marcâ Episcopos Gallicanos, licet omittamus Ludovicum [m] Boyl, Michaelem (n) Naucherium, Joannem [o] de Arti, Joannem (p) Celaja, Leonardum [q] Coquęum, totque alios celebres Doctores Sorbonicos, & Parisienses, qui pro infallibilitate Summi Pontificis, non

(r) Epist. ad Episc. Gall.
(s) Epist. ad omn. Gall. Episc.
(t) Epist. ad Gall & Hisp Episc.
(u) Epist. ad Episc. Gall.
(x) Epist. 2.
(y) Epist. 89.
(z) Epist. 52. Libr. 4.
(a) Epist. 3.
(b) Epist. 9.
(c) Epist. 87.
(d)
(e) Epist. inter illas Ben. 370.
(f) Opusc. cui Tit. Αὐτος εφα.
(g) Episc. Vauren. de supr. Petr. pot. sect. 1. c. 5.
(h) Episc. Massilien de Sacr. Monarch. lib. 2. cap. 5.
(i) Episc. Apam. ad Ann. Chr. 33. num. 5.
(l) Arch. Tolo. electus Paris. in Adnot. ad Thes. Colleg. Clarem. n. 21. 31. & 34.
[m] Doct. Par. in Appar. ad Concil. q. 43.
(n) Doct. Sorbonic. de Monarch. lib. 8. cap. 6. p. 4.
(o) Regius Profess. Tract. de Benefic. cap. 3.
(p) D. Parisien. in 3. sent. dist. 5. part. 4.
(q) Doct. Universit. Parisien. in Antimorn. Tom. 1. fol. 83.

non minùs doctè, quàm ſtrenue depugnant; ſatis ſuperque urget eos pro Nobis, refellitque Andreas [r] Duvalius, Doctor Sorbonicus, & Regius in Academiâ Pariſienſi Theologiæ Profeſſor; cujus hec ſunt ipſiſsima verba: *velint, nolint, liquidò conſtat, veteres Eccleſiæ Gallicanæ Proceres, hanc in Summis Pontificibus, & Petri Succeſſoribus infallibilitatem ſemper agnoviſſe, Chriſtique Domini orationem in Petro non ſtetiſſe; ſed ad ejus Succeſſores certiſſimè tranſiiſſe, eoſque, qui hanc veritatem impugnare conati ſunt, à ducentis, aut circitèr annis, quibus in Eccleſiâ horrenda ſchiſmata irruerunt, cœpiſſe.* Cui præſtantiſſimo Viro, ſi auctoritas addatur, quam illi tribuere Doctores Theologicæ Facultatis Pariſienſis, qui ejus librum approbantes dixerunt, [ac ſi hujus temporis ſciſſuras in illis partibus multo ante proſpexerint] operæ pretium eſſe juris publici fieri, *ad ſummam cum capite viſibili, Romano Pontifice unionem arctiſſimè retinendam, cui aliter Schiſmaticorum mala mens, maluſque animus, malè, & ſeditiosè conſultum vellet;* Nec non ipſi Doctores Sorbonici, qui Virum hunc tanti fecerunt, ut ex illis unus deputatus Cenſor dixerit: *Ejus librum eſſe, qui accipienti, & devoranti futurus ſit in ore dulcis, tamquam mel;* Alter vero: *Librum eſſe, quem veritatis ſtudioſi inoffenſo pede poſſint, & debeant decurrere;* Non videmus quomodo poſsint Novatores ſe à cenſurâ Leonis I. (s) tueri, quôd *ſapientioribus, doctioribuſque non credentes, non ad propheticas voces, non ad Apoſtolicas Literas, non ad evangelicas auctoritates, ſed ad ſemetipſos recurrant, & ideo Magiſtri erroris exiſtant, quia veritatis Diſcipuli non fuerunt.*

(r) De ſuprem. Pot. Pontific. par. 2. q. 2.

(s) Epiſt. 10. cap. 2.

An mutata Eccleſia eſt? An aliam his temporibus Fidem profitemur ab eâ, quam tunc profitebantur? Tot Sanctiſſimi Pontifices, qui regnantes in Cœlis, a Nobis adorantur in terris, num auctoritatem ſibi uſurparunt, quàm a Deo non habuerant? Et quomodo Pariſienſis Academia laudabilem conſuetudinem habuiſſet, de quâ teſtatur uſque ad ſuum tempus Duvalius (t) qui initio elapſi proximè ſæculi ſcripſit, quod Baccalaurei *de quæſtionibus Theologicis ſolemniter reſponſuri, proteſtationes emittant, ſe nolle quidquam contra decreta S. Matris Eccleſiæ, nec non Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Romanæ aſſerere, aut deſendere?*

(t) De ſuprem. Pontif. Pot. part. 2. q. 2.

Num

Num tam insignis Academia in Sacris Canonibus, ac Concilijs minus versata fuit, quam moderni sint Novatores? Quomodo ad extinguendũ incendium, quod per universas Ecclesiæ partes minabantur contentiones, quę in Belgio excitatæ flagrabant etiam in Gallijs, ob propositiones excerptas è Libro Jansenij, octuaginta quinque Episcopi (u) Galliarum, non Concilium ab Innocentio X. petierunt, sed precati tantùm ab eo sunt, ut, quid sentiendum esset, definiret? Quomodo, post editam definitionem, pridie Kal. Junij 1653. sic, gratias agentes eidem Pontifici, scripserunt; *Porrò nos (x) Innocentio X., cujus ore Petrus loquutus est, ut Leoni I. acclamabat quarta Synodus, hanc Divinam lauream gratulati, sacros inter Ecclesiæ fastos, quod olim de Synodis œcumenicis fieri solitum, Constitutionem istam ab eo editam libentes ex animo reponemus?* Ab eâ igitur Fide, quam religiosissimi hujus Cleri sapientissimi Patres tenuerunt, cur abducere nos vellent Novatores? An non, ut Innocentius X., ita & Clemens XI. idem Petri Successor est, Christique Vicarius? Per os Innocentii tunc in Galliis loquutus est Petrus: nunc verò per os Clementis loqui negabitur?

Confundantur igitur, & erubescant à vijs suis, & ne somniato Nostro silentio tueri se posse coram hominibus credant, nostrum audiant consilium: imitentur Edmundum Richerium, sequutique hucusque errantem, sequantur jam & pœnitentem, qui anno 1629., uno, aut altero ante obitum die, dolens, ac vehementer improbans, & condemnans, quòd calamũ adversus Pontificis auctoritatẽ distrinxisset, in manibus Cardinalis de Richelıu Provisoris Sorbonæ professus est: *Omnem suam doctrinam Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, & Sanctæ Sedis Apostolicæ judicio subijcere, quam Matrem, & Magistram Ecclesiarum, & infallibilem veritatis Judicem agnoscebat.* (z)

Alioquin: *se jactent in sui eloquij vanitate, & de argumentationum suarum versutiâ, quæ inimica est Fidei, glorientur.* (a) Nos certè, cum Anselmo Archiepiscopo Canthuariensi, quem antea Abbatem Beccensem inter suos annumerari non indignabitur Gallia, Nos, inquam, ad pedes Sanctissimi Domini Nostri Clementis XI. provoluti, magis corde,

(u) Lit. Episc. Gall. ad Innoc. X. quibus octuaginta quinque subscripserunt.

(x) Lit. Episc. Gall. ad Innoc. X. die 5. Julij 1653.

(z) Apud Dual in admonit. ad lectorem.

(a) D. Leo Ep. ⟨?⟩ 65. ad Serm. Imp.

corde, quàm calamo protestamur; *Quod non timemus exilium, non paupertatem, non tormenta, non mortem, quia ad hæc omnia (Deo confortante) paratum est cor nostrum pro Apostolicæ Sedis obedientiâ, & Matris Nostræ Ecclesiæ libertate: certitudinem tantum quærimus, ut sciamus, quid auctoritate suâ tenere debeamus* [*b*].

(*b*) Epist. 73. ad Paschal. II.

Potuissemus, Præsul Illustrissime, Constitutionem tantùm nostrã ad Vos mittere in Synodalibus Comitijs Pisis a Nobis Anno 1716. habitis editam, quæ satis, superque silentij crimen falsò Nobis objectum vel sola diluisset. Ignoscetis autem, si fervore veritatis accensi, *ne per taciturnitatem*, juxtà monitum Pontificis Julii III. (*aut facere, aut consentire videamur Fratrum nocumentis*, obliti quodammodo eramus, debere Nos, cum ad Vos scriberemus, sensum nostrum dumtaxat aperire: *Omnipotentemque Deum* [*c*] (cum D. Gregorio ad eosdem Episcopos Galliæ scribente) *precibus exorare, ut dilectionem vestram in amoris sui constantiâ faciat ferventem, atque in pace Ecclesiæ permanere, & in unâ vos concedat magnopere retineri concordiâ*:

(*c*) Liba. 4. Epist. 52.

Debere vel in primis Vobis gratias agere, [& agimus quidem, & quantas possumus maximas habemus,] quòd tenuitatem nostram, pro servandâ Pontificis auctoritate, cui vices suas Christus commisit, fortitudini vestræ, totque venerabilium Præsulum consociatam requiratis. Verùm si longiores, quam opus erat ultra Epistolę modum evasimus, purgat Nos humanitati Vestræ D. Augustinus (*d*), qui nunquam putat, *justè reprehendi Ministerium nostrum, si contra quoslibet adversarios veritatis, ferventi spiritu, pro veritate, certemus.*

(*d*) Libr. I. cont. Cresc. cap. 7.

Nos ergo, ut finem faciamus, solicitos servare unitatem spiritûs semper vobiscum habebitis: Habebitis etiam omnes harum regionum Episcopos, quorum mentem licèt, ob temporis angustias, exquirere Nobis datum non fuerit, certi tamen sumus, eos nihilo minori studio Catholicæ religionis accensos, pari quoque obedientiâ, Constitutionem prædictam venerari.

Faciat

Faciat Misericors Deus, tuendæ simul, & propagandæ pietati, longævam Dominationem Vestram Illustrissimam, ad cujus obsequium, & mandata semper paratus erit;

Dominationis Vestræ Illustriss. & Reverendiss.

Pisis XIII. Kalend. Julij 1718.

Humillimus, & Obsequentissimus Servus

Franciscus Archiepiscopus Pisarum.

ADDI-

ADDITIONUM

AD TERTIAM

SYNODUM

PARS SECUNDA.

Continens varias Constitutiones Apostolicas, Decreta, Declarationes, ac Literas Sacrarum Congregationum ad cætera capita pertinentes, secundum ordinem illorum primæ, & secundæ Synodi distributas, cum nonnullis Admonitionibus, quæ illis præmittuntur.

AD CAPUT II.

De Doctrinâ Christianâ.

I.

Constitutio Clementis VIII., quâ Nos ad omnem diligentiam habendam hortatur, ut, in Doctrinâ Christianâ à Parochis & aliis explicandâ, libellus adhibeatur conscriptus à Cardinali Bellarmino, & ab eodem Pontifice approbatus: ne diversus, & varius, sed unus, idemque modus, ab omnibus, qui eam docent, teneatur.

Quod etiam præ oculis habens D. Carolus, norma Pastorum,

in ejus Constitutionibus, & Regulis Societ. Doctr. Christ. *par.* 1. *cap.* 10. *inter acta Eccl. Mediol. par* 5. Præfectis ejusdem præceperat, ut caverent, ne, ad eam edocendum, varietas librorum in scholis admitteretur, sed omnes essent uniformes, & approbati, & à Reverendissimo Episcopo assignati. Quem prędicti Card. Bellarmini libellum, etiam Urbanus VII. in suâ Constit. *Ex debito* 128. Religiosis ad Japonicas Insulas Missis mandavit, ut, in Populis ad Doctrinam Christianam instituendis, & erudiendis, in linguas eorumdem Populorum translatum, adhiberent. Quare hujus observantiam etiam à sacrâ Congr. Episcoporum, & Regularium, ad mentẽ S. Memoriæ Innocentii XIII. Nobis injunctam, & commendatam, omnibus Parochis, & Ecclesiarum Curam habentibus præcepimus, utque, juxtà methodũ numquam satis laudati libelli memorati Cardinalis, oves suas instruant, in pręsenti tertiâ Synodo ad *Cap.* 3. *de Doctrinâ Christianâ*, mandavimus.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

PAstoralis Romani Pontificis sollicitudo in eam præcipuè curam incumbere debet, ut Christifideles pueri Catholicam Doctrinam facilè edoceantur: ut in illis, uno, eodemque tempore, pietas, ac divinorum observantia Præceptorum in dies crescat. Quum itaque (sicut accepimus) plures Doctrinæ Christianæ Libelli a varijs Personis compositi, diversum Ordinem, verborumque seriem continentes hactenùs emanarint, ità, ut in docendo, & discendo, non modica sit orta difficultas, atque varietas; Nos huic malo occurrere cupientes, novum ejusdem Doctrinæ Christianæ libellum, per Dilectum Filium Robertum Bellarminum, Pręsbiterum Societatis Jesu, de mandato Nostro conscriptum, ac in duas partes divisum, à dilectis Filijs Reformatoribus in Congregatione Reformationis Nostræ deputatis, dilgentèr examinari mandavimus. Cumque Libellum hujusmodi jam omninò absolutum, & à prædictâ Congregatione comprobatum in lucem edi, & typis tradi mandaverimus, ut posthac unus, idemque modus in docendo, & discendo Christia-

stia-

ſtianam Doctrinam ab omnibus teneatur; Motu proprio, & ex certâ ſcientiâ, maturâque deliberatione, Noſtris dilectis Filijs Confratribus Confraternitatis Doctrinæ Chriſtianæ de Urbe, qui (ut etiam accepimus) multis ab hinc annis in ipsâ Urbe, & extrà, in diverſis locis, Doctrinam hujuſmodi docere conſueverunt, prædictum novum Doctrinæ Chriſtianæ Libellum, ut prefertur, examinatum, & approbatum auctoritate Noſtrâ imprimi facere, quodque nemo unquam, tàm in Almâ Urbe, quàm in toto Statu Noſtro Eccleſiaſtico Libellum hujuſmodi, ſine expreſsâ ipſorum Confratrum, ſeù Officialium ejuſdem Confraternitatis licentiâ, imprimere poſſit, ad decennium proximum, auctoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Inhibentes propterea univerſis, & ſingulis Chriſtidelibus, preſertim Librorum Impreſſoribus, & Bibliopolis in Ditione Noſtrâ Eccleſiaſticâ conſiſtentibus, ſub indignationis Noſtræ, & amiſſionis Librorum, nec non quingentorum ducatorum auri de Camerâ, prò unâ Cameræ Apoſtolicæ, pro aliâ denuciatori, ſeu accuſatori, & pro reliquâ tertijs partibus Cameræ prædictæ applicandorum, eo ipſo incurrendâ pœnâ, ne Libellum Doctrinæ Chriſtianæ hujuſmodi, ſinè Officialium Societatis prædictæ pro tempore exiſtentium licentiâ, etiam in ſcriptis obtentâ, imprimere, aut impreſſum vendere, ſeù venalem habere, vel proponere audeant, ſeù præſumant. MANDANTES DILECTO Filio Noſtro nunc, & prò tempore exiſtenti in Urbe Vicario, & ejus Officialibùs in dictâ Urbe, & ejus Diſtrictu, tàm in publicis, quàm in privatis Scholis, & Eccleſiis, alios Doctrinæ Chriſtianæ Libellos adhiberi, imprimi, & jam impreſſos vendi, ſeù venales haberi, vel proponi minimè permittant; quinimmo, ſub pœnis præmiſſis, contradictores quoſcunque ad omnia ſupradicta inviolabiliter obſervanda, auctoritate Noſtrâ cogant, & compellant. HORTAMUR AUTEM in Domino Venerabiles Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & dilectos Filios eorum Vicarios, necnon Abbates, Parochos univerſos ubique locorum exiſtentes, & alios, ad quos ſpectat, ut, quantum per eos fieri poterit, in docendo Chriſtianam Doctrinam, in eorum quiſque Eccleſijs, Diœceſibus, & Parochijs reſpectivè, libellum hujuſmodi (ut præfertur) approbatum, & juſſu Noſtro editum recipiant, & adhibeant, necnon

recipi, & adhiberi curent, & faciant. Dilectis verò filijs Nostris, & Sedis Apostolicæ, nec non Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, & aliis Statûs Nostri Ecclesiastici Officialibus per præsentes injungimus, ac respectivè mandamus, ut pœnas prędictas in contravenientes, quando, & quoties requisiti fuerint, irremissibiliter exequantur. Decernentes irritum, & inane quidquid secùs supèr his, quovis modo, contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscumque. Datum Ferrariæ, sub Annulo Piscatoris, die 15. Julii 1598. Pontificatus Nostri anno septimo.

M. Vestrius Barbianus.

AD CAPUT III.

De Prædicatione Verbi Dei.

II.

LOca Sancta, in quibus steterunt pedes Domini, Saracenorum violentâ premi Tyrannide, Loca venerabilia divinis deputata Mysterijs, quæ Dominum in carne susceperunt Hospitem, signa viderunt, senserunt beneficia, facta fuisse Gregum præsepia, & stabula jumentorum, lacrimis magis, quàm verbis dolebat Urbanus II. in oratione ab eo habitâ ad Synodum Claramontanam in Gallijs, sub VI., aut, quemadmodum alibi legitur, sub IV. Kalend. Decembris 1095. quæ oratio rescribitur *à Willel. Tyr. Archiep. Libr.* 1. *de Bello Sacro cap.* 11. *&* 12. *à Baronio Tom.* 11. *ad An.* 1095. *num.* 12.; & habetur in Actis ejusdem Concilii, apud Hadrianum *Tom.* 6. *pag.* 2. Verùm, licet ea, ut ipse Pontifex in eâdem oratione prosequitur, licet, inquam, in manus Impiorum ob inhabitantium peccata tradi permiserit Dominus, non tamen arbitrandum est, quod, quasi à se repudiata, abjecerit. Pluries enim Hierosolymæ Templum, in quo sacrosantum Salvatoris Sepulcrum asservatur, dirutum fuit: omnia, ad idem frangendum, & quassandum, Saladinus Soldanus ten-

tentavit: tentarunt & alij: sed inanis semper sacrilegus eorum conatus fuit. *Glaber. Lib.* 3 *cap* 7. *Willel. Tyr. Archiep loc. cit.* Nam pluries etiam fuit Templum ipsum, excitatâ divinitus Fidelium, ac Principum Christianorum, præsertim Caroli Magni pietate, restauratum. In ejus enim Capitularibus, *Lib.* 4. *in append. cap.* 31. legitur, ut scribit Baronius *ad An.* 799 *n* 21. *Tom.* 9. *de Eleemosynâ mittendâ in Hierusalem propter Ecclesias Dei restaurandas proximo Natali Domini*. Sed præcipuê Pastoralis Summorum Pontificum vigilantia, inter alias multiplices, & gravissimas Apostolici muneris curas, in hanc incumbit, ut Nostræ Redemptionis, in illis partibus, monumenta conserventur, & majori quâ potest honorificentiâ, venerentur. Eam ob rem Nobis injungunt, ut curemus, ac faciamus, quod per Verbi Dei Prædicatores in suis Sacris Concionibus, eorum sacrorum Monumentorum, & Fratrum Minorum S. Francisci de Observantiâ, qui ea eximiâ religione, ac Charitate custodiunt, quique gravissimis tributis, ab impiâ Turcarum, & Schismaticorum Tyrannide, sordidâque aviditate onerantur, necessitates, ad minùs duabus vicibus, quolibet anno, Adventus, & Quadragesimæ temporibus, proponantur Fidelibus, & commendentur: ut eleemosynis, quæ in Civitatibus,& Locis Catholicorũ colliguntur, illis, debitâ Christianâ Charitate, provideatur. Id agunt præsertim Urbanus VIII. Constitutione *Salvatoris* 195. Innocentius X. Constitutione *Salvatoris* 39. & alij Succedentes Pontifices: Quas omnes Constitutiones Sanctę Memoriæ Innocentius XIII., eâ, quæ sequitur confirmavit, & innovavit.

INNOCENTIUS PAPA XIII.

SAlvatoris, & Domini Nostri, qui pro humani generis redemptione se ipsum exinanivit, factus obediens usque ad mortem, vices, licet immeriti, gerentes in terris, inter multiplices, gravissimasque Apostolicæ servitutis curas, in eam prçcipuè Pastoralis sollicitudinis vigilantiâ incumbimus, ut tanti, & tam salubris mysterii monumenta, quæ in Civitate Hyerusalem, & locis circumvicinis sunt, conserventur, & omni, quâ fieri poterit, majori honorificentiâ recolantur. Quum itaque alias fel. record. Urbano Papæ VIII. Prędecessori Nostro expositum

situm fuerit, quod Ecclesiæ, & alia loca pia, in Civitate Hyerusalem, & aliis locis Terræ Sanctæ existentia, ferè diruta erant, & quæ adhuc ibi existebant Monasteria, ęre alieno, ob impiam Turcarum, Hęreticorum, & Schismaticorum tyrannidem, & pro S. Fidei Catholicæ in eisdem locis conservatione, contracto, admodum gravata reperiebatur; Idem Urbanus prædecessor, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis, necnon omnibus, & singulis quorumvis Ordinum, Congregationum, & Institutorum Regularium Generalibus commiserit, & mandaverit, ut ad minus duabus vicibus, quolibet anno, Adventùs, & Quadragesimæ temporibus, tam per Verbi Dei Prædicatores in suis sacris Concionibus, quam in actionibus, & functionibus publicis, necessitates eorum sacrorum Monumentorum populo proponi, & commendari curarent, & facerent, & alias prout in ipsius Urbani Prædecessoris Literis desuper in simili formà Brevis die 3. Februarii 1634. expeditis, quorum tenores pro expresis haberi volumus, uberius continetur: Et sicut pro parte Dilecti Filii Emanuelis Fernandez de Rio Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantià nuncupatorum Lectoris jubilati, ac Excustodis Provinciæ Burgensis, nec non totius sacræ Custodiæ, ac Familiæ Terræ Sanctæ in Romanâ Curià Commissarii, & Procuratoris Generalis, Nobis nuper expositum fuit, ipsæque prædicti Urbani prædecessoris Literæ, quæ à rec. mem. Innocentio X. Clemente etiam X. Innocentio XI. Alexandro XIII. ac Clemente pariter XI. Romanis Pontificibus, Prædecessoribus itidem Nostris, confirmatæ fuerunt, exactiùs observentur, illas per Nos pariter confirmari, & innovari desideret; Nos eorumdem sacrorū Monumentorum conservationi, & manutentioni consulere volèntes, prædictas Urbani Prædecessoris Literas, Apostolicâ Authoritate, tenore præsentium confirmamus pariter, & approbamus, illasque innovamus, & observari mandamus. Volumus autem, ut Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi prædicti in relatione statùs Ecclesiarum suarum, quando visitabunt limina Apostolorum, faciendà, referant, se præfatis Urbani Prædecessoris, & præsentibus Nostris Literis paruisse, contrariis non obstantibus quibuscumque. Volumus insuper, ut earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscri-

ſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſticâ dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris die 21. Novembris 1621., Pontificatus Noſtri Anno Primo.

AD CAPUT VIII.

De Sacramento Baptiſmi.

III.

CErtum eſt Baptiſmum collatum ab Hæreticis, dummodo in eo conferendo formam ſervent Eccleſiæ, habeantque intentionem faciendi, quod ipſa facit, verum, ac validum eſſe, *Can. dictum* 96. *can. quodquidem* 97. *C.* 1. *quæſt* 1. *can. ſi qui* 28. *C. quamvis* 29. *C. revera* 30. *C ſive hæreticus de Conſec. diſt.* 4. A quocumque enim conferatur in formâ Eccleſiæ Baptiſmus, verus Baptiſmus eſt, *cap. firmiter* §. 4 *de ſum Trin* quia Baptiſmus talis eſt, qualis ille eſt, in cujus poteſtate datur, non qualis eſt ille, per cujus miniſterium datur, *C. ſi inter* 25. *can Baptiſmus* 26 *de Conſec. diſt* 4. cum non merita Miniſtrorum, ſed virtus Chriſti operetur. *C. aliud*, *C. quando* 41. *dictâ diſt.* 4.

Hoc declaratum fuit à Pontifice Stephano, redargutis illis, qui contrarium ſentiebant, *C. præter* § *Stephanus diſt.* 32. *Euſeb. lib.* 7. *Hiſtor. cap.* 2. ejuſque ſententiam poſtmodum ſequuti fuerunt multi Sancti, ac veteres Pontifices, Siricius in *Epiſt. ad Himer.. cap.* 2. Innocentius *in Epiſt. ad Maced* Leo *Epiſt.* 35. *cap.* 2. *ad Leon Epiſcop. Ravennat. & in Epiſt.* 90 *ad Ruſtic. tranſcriptâ à Gratiano in C Hi de quibus* 38 *de Conſec diſt* 4., Anaſtaſius Secundus *in Epiſt. ad Anaſtaſium Imper.* Zaccharias *Epiſt* 2. *in fine*, Pelagius *in Epiſt. ad Gaudent. Epiſc.* Gregorius Magnus, nec non cum ipſis omnis Eccleſia Catholica ſequuta fuit: *d. Can. præter* §. *& hanc ſententiam*; quem Canonem totum accepiſſe Gratianum ex Epiſtolâ Urbani II. *ad Præpoſ S. Juvent. apud Ticinum*, quæ habetur in vetuſto Codice Bibliothecæ Vaticanæ, notant Fratres Pitœi in corp Jur. *Can. ad veteres Codices manus ſcriptos reſtituto poſt prædictum*, *Can. præter* Hujus ſimiliter ſententiæ propugnatores inter veteres Patres fuerunt Divus Auguſtinus

nus *in lib contra Donatis*: Optatus *in lib contra Parm.*; D Hyeronimus *in Dialogo contra Lucifer.* Naziànzenus *in orat. de Baptis.* deinde D. Thomas, *Libr.* 4 *contra Gentiles cap.* 7. Thomas Valdensis, *Tom.* 2. *ab initio per multa capita*. Bellarminus *de Sacr. in Gen. lib.* 1 *cap.* 26. *per totum*. Tandem fuit hoc definitum ab Eugenio IV. *in Concil. Florent. Decret. Union. Armen* §. 1. Et qui diceret, Baptismum, qui etiam datur ab Hæreticis in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum, Anathema esset, ex definitione *Concil. Trid. sess.* 7. *de Bapt. Cap.* 4. Verùm, cum propter adversum animum, quem habent Hæretici ab Ecclesiâ Catholicâ, dubitari de illius validitate possit, ob periculum defectùs Intentionis, vel ob commutationem Formæ, vel ob comtemptum Materię, dubitatum etiàm fuit a nonnullis Doctoribus, an Baptismus ab eis collatus, sit sub conditione reiterandus; *apud Moliu. in suâ praxi, Tract* 4. *cap.* 3. *n.* 30. *Dian. part.* 9. *Tract.* 6. *Res.* 115. *Miscell. Quintanad. sing. ad sep. Eccl. Sacr. Tract.* 1. *de Bapt. singul.* 3. *per totum*.

At cum hęc quæstio sit potiùs de facto, quam de Jure, ut considerant, *Card. de Lugo in Respons. Mor. lib.* 1 *dub.* 2. *n.* 43. *Torreblanch. Jur. Spirit. lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 43. *Card. Albit de Inconst. in Fide cap.* 33. *num.* 29.

Ideo Clemens XI. venerab. mem. pro instructione Episcoporum, & Inquisitorum in hac materiâ, sub die 18. Maii 1720. sequentes literas scribi mandavit, & ad eorum Manus transmitti.

E X T R A.

Al Reverendissimo Padre; Il Padre Inquisitore di Pisa.

INTUS.

REVERENDO PADRE.

E Pervenuto à notizia di Sua Santità, e di questa Sacra Congregazione, che alcune sette di Eretici, non solo illecitamente, ma anco invalidamente amministrino il Sagramento del Battesimo, & in specie, che alcuni Eretici esistenti nella parte più remota della Boemia, e nel Marchesato di Brandemburgo, adoprino per materia di questo Sagramento qualsisia acqua artificia-

ficiale, & altri alterino essenzialmente la forma delle parole; e che una Persona faccia l'infusione, & altra proferisca le parole, che sono la forma del Battesimo: il che si osservi anco in Sassonia da i Luterani denominati Molli; Et in oltre, che in Francfort è costume, che quando si fà un Battesimo Solenne, il Battezzante proferisca la forma, e l'Assistente versi l'acqua, non sopra il Capo del Bambino, mà sopra le mani del Ministro Battezzante; onde la Santità Sua in si grave materia, udito il Voto di questi miei Eminentissimi Colleghi Signori Cardinali Generali Inquisitori, hà risoluto, e decretato, che gl'Eretici, quali abjurano l'Eresia, e si convertono alla Santa Fede Cattolica, se sono stati illecitamente, ma validamente Battezzati, non debbano battezzarsi: ma quelli, che non fossero stati validamente battezzati, si dovranno nuovamente battezzare; & in caso di grave dubbio, se il Battesimo da essi riceuto sia valido, si debbono ribattezzare *sub conditione*. Per tanto, si partecipano à V. R. le riferite notizie, e risoluzione, acciò, in caso di conversione d'Eretici, massime de Luoghi sopranominati, prima di farli abjurare, e riceverli nel grembo della Chiesa, interroghi li medesimi, come si amministra il Battesimo da quella Setta, che hanno essi professata, & in quel luogo, ove sono stati battezzati; ed à tenore della riferita risoluzione si regolerà; quale doverà communicare à i Vescovi di cotesta sua Inquisizione, acciò ancora essi eseguiscano si necessaria, e santa risoluzione, e Dio la conservi.

Di V. R. Roma 18. Maggio 1720.

Come Fratello
Il Cardinale Giudice

Decretum Sacræ Congreg. Concilij de Regulâ habendâ in administrando Sacramento Baptismi Infantibus, qui ad Hospitalia deferuntur, vel reperiuntur expositi.

IV.

Quotiescumque dubium est, an hujusmodi Infantes fuerint baptizati, conveniunt omnes, esse sub conditione baptizandos. Habentur Canones à Gratiano recollecti, quibus hæc

cavetur; *Can. parvulus, C. placuit, C. cum itaque, C. si nulla de Consecr. dist.* 4. A Rituali quoque Romano ita præscribitur: *Infantes expositi, & inventi, si re diligenter investigatâ, de eorum Baptismo non constet, sub conditione baptizentur: de Sacr. Bapt. ritè administr. §. de Baptiz. parvul. vers. Infantes.*

Non conveniunt tamen Doctores in statuendâ Nobis regulâ, quâ utamur, ad cognoscendum, quæ moralis certitudo, ad excludendum dubium, sufficiat.

Existimat Henriq. *in Sum. Theol. Moral. Libr.* 2. *Capitul.* 3., quod expositi ad Januam Ecclesiæ inter Catholicos, si ætatis viginti, aut plurium dierum appareant, credi debeant baptizati, dummodo aliæ conjecturæ suspicionem vehementem in oppositum non inducant: ætatem enim, sufficiens esse testimonium suscepti Baptismatis inter Christianos, putat etiam Sotus in 4. *Sentent. dist.* 3. *quæst. unicâ.*

Opinantur alij, Infantes, si inter Catholicos exponantur schedulam habentes, quæ testetur eos esse baptizatos, etiamsi nomen Testis in eâ non sit appositum, nullatenus esse rebaptizandos, ex vehementi præsumptione, quod Parentes dictam schedulam apposuerint ad evitandam reiterationem Baptismi. *Filliuc. Tom.* 1. *tract.* 2. *cap.* 6. *n.* 149. *Ochag. de Sacr. Baptis. quæst* 2. *n.* 8. *apud Dian part.* 5. *Tract.* 13 *Miscell.* 1. *Resol.* 85.

Huic sententiæ accedunt, eique subscribunt, dummodo non adsit aliquis prudens timor, vel in loco non sint expositi, seu inventi, ubi cum Christianis mixti Judæi, vel Infideles reperiuntur (quos, utpote Baptismum execrantes, dubitari posset, dictam schedulam ipsis ex industriâ apposuisse, ne eorum Filii expositi baptizentur) *Dian. par.* 4. *Tract.* 13. *Miscell. resol.* 85. *part* 9. *Tract.* 6. *Miscell. resol.* 31. *vers. sed communis*; *Card. Albit. de Inconst. in Fide, cap.* 33. *num.* 21.

Alii tandem in sententiâ sunt, hujusmodi Infantibus, sive habeant schedulam, sive non habeant, esse Baptismum sub conditione conferendum: cum tale testimonium non sit ita certum, ut fidem indubiam faciat. Quotiescumque autem aliquid dubii remanet, semper inclinandum est in favorem Baptismi, ne periculo illorum salus exponatur; *Marchant Candelab Sacr. Trac.* 2 *de Bapt. cap.* 2. *quæst.* 4. & latè ratione, ac authoritate probat *Quintanad. singul. Theol. Moral. Tract.* 1. *singul.* 9. *per totum.*

Hanc

Hanc ultimam sententiam sequuntur in Archiepiscopatu Hispalensi, in Diœcesi Cordubensi, & in Magno Orphanatrophio Toletano, ut testantur *Quintanad. dict. sing. 9. Leand. Tom. 1. Tract. 2. de Bapt. disp.* 3. *quæst.* 44. & habet pro se, *Can. placuit* 111. *de Consecr. dist.* 4.

Nec non eidem sententiæ favet D. Carolus, qui *in Concil. Provinc. part.* 1. *de Baptis. Infant. expos.* ita decrevit. *Infans expositus, licet appensum collo scriptum habeat, quo ille baptizatus significetur, si tamen, re diligenter perquisitâ, quemadmodum a Cathechismo Romano expressum est, adhuc dubium sit, eum esse baptizatum, eâ conditionis formulâ baptizetur;* si tu es baptizatus, ego te non baptizo; & si nondum batizatus es, ego te baptizo.

Quamobrem; ob hanc opinionum diversitatem, in quâ scribit *Octav. Maria a S. Stephano in suis Interrog. et Respons. Interrog.* 765. sibi facile non esse certum dare responsum; Parochus S. Spiritus in Saxiâ Almæ Urbis, ad suæ conscientiæ quietem, ne in re tanti momenti muneri suo deficeret, vel se periculo exponeret Irregularitatis, quam incurrunt rebaptizantes, *ad textum in cap. ex literarum* 2. *de Apost.*, *& ibi DD.*

Sub die 18. Decembris 1723. humiliter quæsivit à Sacr. Congregat. Concil.

Quomodo se gerere debeat Parochus Sancti Spiritûs in Saxiâ, in collatione Baptismi Infantibus, qui ad Archihospitale deferuntur, sive ijdem habeant schedulam de Baptismo testantem, sive non habeant, & etiam, sive ex colore, & cœteris corporis qualitatibus deprehendantur, eosdem esse constitutos in ætate sex, aut decem mensium, vel unius Anni cum dimidio: & proposito Articulo resolvendo, sub die 15. Januarij 1724.

Sacra Congreg. respondit. *Esse baptizandos sub conditione, in omnibus casibus expositis, juxta instructionem: & Instructio est, quod excipiatur a Baptismo sub conditione casus schedulæ, quæ haberet certitudinem.*

ALIUD DECRETUM
Sacræ Congregationis Concilij supradicto cohærens.

Maria Rosa Virgo Neapolitana ætatis sex dierum fuit ab homine quodam, qui eam expositurus ad Hospitale pergebat,

gebat, consignata mulieri Anna nuncupatæ, quæ illam tamquam Filiam recepit, & materno nutrivit affectu; nec non usque ad trigesimum annum eadem Maria Rosa semper piè vixerat, & Sacramenta Pœnitentiæ, ac Eucharistiæ frequentaverat: Verum inire cupiens seculares nuptias, impediebatur, eo quod fidem Baptismi non habebat, nec poterat indicare. Quâ de re supplicavit Sacræ Congregationi, ut dignaretur decernere, quomodo esset ipsi consulendum. Examinata formiter prædicta Mulier Anna, aliud non posse deponere respondit, nisi quod eam semper credidit esset baptizatam, quando ad ejus manus delata fuit, sed nec de Baptismo ejusdem Puellæ hominem illam sibi consignantem interrogaverat, nec ullum recepti Baptismi eadem signum habebat.

Proposito igitur Articulo in Sacra Congregatione, quomodo Oratricis precibus sit annuendum, Sacra Congregatio, sub die 1. Septembris 1714. respondit.

Esse baptizandam sub conditione, ac secreto, & deinde procedi posse ad contractum Matrimonij servatis servandis.

CAPUT, DE QUIBUS, II. DE BAPTISMO.

In quo ab Alexandro III. præscribitur forma, quâ in casibus dubijs baptizari debeat.

DE quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizantur, his verbis præmissis. Si baptizatur es, non te baptizo, sed si nondum baptizatus es; Ego te baptizo &c.

Decretum Sacræ Congregationis Concilij.

V.

QUod Procurator suscipiens Infantem in Sacro Baptismatis Fonte, cognationem Spiritualem non contrahat.

Dissident inter se, in hoc articulo examinando, Doctores.

Et quidem spiritualem cognationem contrahi a Procuratore, scripserunt plures apud *Sanch. de Matrim. Libr. 7. disp. 57. n. 2.* nec non apud *Leandr. Tom. 1. tract. 2. disp. 7. de Ritu Patr. q. 22.* & probabiliorem hanc sententiam dicit *Pax Jord. Tom. primo lib. 3. tit. 2. n. 75.* Con-

Contrahi vero non à Procuratore, sed à Principali, qui ad suscipiendum suo nomine Infantem è sacro Baptismatis Fonte, illum constituit, senserunt Doctores numero longe plures, & præsertim, *Laym lib.* 5. *Tract.* 10. *part.* 4. *n.* 5. *Basil. Pont. de Matrim lib.* 7. *cap.* 39. *n.* 10. *Bonac. de Matrim. punc.* 5. §. 2. *n.* 34. *Justus de dispens. Matr lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 33. *Perez. de Matrim. Disp.* 29 *sect.* 1. *per totam*, nec non alii plures apud eos.

Verum, nec à Procuratore, nec à Mandante spiritualem contrahi cognationem opinati sunt, & hanc suam opinionem authoritate, & ratione comprobarunt *Sanch de Matrim. libr.* 7. *disp.* 59. *n.* 4. qui eam probabiliorem existimat, plurimosque, qui ei subscribunt, refert; *Leand. d. Tract.* 2. *disp.* 7: *q.* 22. *vers. sed æque*, *Dicast. de Sacram. Tom.* 1 *Tract.* 2. *disp.* 2. *dub.* 5. *n* 56. *Diana*, qui eam ab objectis etiam vindicat, *part.* 10. *Tract.* 16. *resol.* 29. *vers. nota*.

Quamobrem, cum opponeretur Nicolao de Theatino, ad impediendum Matrimonium cum Antoniâ de Benedicto, Viduâ à primo Viro relictâ, impedimentum Cognationis Spiritualis, ob Filium primi sui Viri ab eo tamquam Procuratore, è sacro Fonte Baptismali susceptum, fuit, attentâ diversitate opinionum inter Doctores, supplex Libellus Sacræ Congregationi porrectus, sub 23. Augusti 1723., ut dignaretur decernere, an oppositum impedimentum subsisteret.

Et proposito dubio.

An impedimentum Cognationis spiritualis obstet Nicolao, quominùs Matrimonium contrahere valeret cum Antoniâ de Benedicto, in casu;

Sacra Congregatio Concilij, sub die 17. Septembris immediatè sequentis respondit: Negativè.

Decretum Sacræ Congregationis Concilij.

VI.

QUod ex iteratione Baptismi Solemniter, & sine ullâ conditione collati, quià ignorabatur fuisse Domi, urgente necessitate, validè collatum, Patrinus cognationem Spiritualem non contrahat.

Dissentiunt inter se etiam in hoc articulo resolvendo Doctores.

Cogna-

Cognationem spiritualem contrahi à prędicto Patrino existimant, ex veteribus; *Domin. à S. Geminian. Cons.* 33. *n* 5. *& 6. Philippus Probus in Parisiensi Senatu Advocatus in suis Addit ad Card. Monach, super sex Decret. cap.* 1. *n.* 4. *de Cognat Spirit.*; Nec non ijsdem subscripsisse Felinum, cum magna super hoc suborta Romæ quæstio fuisset, eo tempore, quo erat Auditor Rotæ, testantur *Mandos. apud Sanch. de Matrim lib.* 7. *disp.* 62. *n.* 4. *& Valer. Valen. de differ. Juris; Baptismus* 2. *differ.* 2. *num.* 2. eâ ratione ducti, quod licet Baptismus secundus ob primi validitatem irritus esset, sufficiebat tamen, ad inducendum impedimentum, collatum fuisse: exemplo Sponsalium, ex quibus, licèt irrita fuerint, oritur tamen impedimentum publicæ honestatis, ad textum literalem, *in Cap. de Spons. in* 6.

Alij in sententiâ sunt, saltem ex posteriori Baptismo solemniter collato, ortum fuisse impedimentũ impediens, ob Cathechismum in eo factum, qui in præcedenti privatim collato fuerat prætermissus; *Cap. Contracto de Cogn. Spirit. cap. per Cathechismum eod. tit. in* 6. Hoc enim impedimentum non fuisse à Concilio Tridentino sublatum, resolutum post longam discussionem, coram Cardinali Paleotto, sub die 28. Aprilis 1583. testatur Ludovicus Bera, *Resp. Casu. part.* 2. *Cas* 3. *per totum;* nec non acriter defendit *Card. de Laureâ in* 4. *sent. disp.* 36. *Art.* 2. *per totum*; quod & multi alij Doctores, qui post Concilium Tridentinum scripserunt, existimant, apud *Sanchez. de Matrim. Libr.* 7. *Disp.* 10. *n.* 11. *& apud Leand. Tom.* 2. *Tract.* 9. *de Matrim. disp.* 23. §. 3. *quæst.* 4.

E contrario, nullam omninò prædictum Patrinum cognationem spiritualem, nullumque impedimentum, tam dirimens, quam impediens contraxisse, multi sentiunt Doctores.

Non primum: Ideò enim Jura decernunt ex Baptismo cognationem oriri, quia est quædam regeneratio spiritualis. At posterior Baptismus, ob primi validitatem, nec verus Baptismus est, nec vera spiritualis regeneratio, *Navar. libr.* 3. *Consil. Tit. de Baptism. Consil.* 2. *Sanch. d. lib* 7. *disp.* 62. *n.* 5. *Bonac de Sacr. Matrim. q.* 3. *Punct.* 14 *Prop* 3 *n.* 6. *vers. Hinc facile, Just. de Dispens. Matrim lib.* 2 *cap.* 5. *n.* 24.

Non secundum: quia impedimentum, quod ex Cathechismo oriebatur, fuisse sublatum, communiter testantur *Sanch. d. disp.* 10. *n.* 11.

n. 11. *Leand. d.* §. 3. *q.* 4. *Hurtad. de Matrim. disp.* 25. *diffic.* 1. *n.* 4. *Busemb. lib.* 6. *cap.* 3. *Dub.* 1. *vers. dicitur*, *Conincb de Sacram. disp.* 30 *dub* 3. *n.* 24. *Castropal. par.* 5 *de Sponf. disp.* 4 *Punct.* 2. §. 1. *n.* 8. *&* 9. *Anton. à Spir. Sanct. Tract.* 10. *de Matrim. disp.* 8. *sect.* 18. *n.* 520. *vers Tertio*. *Gerib. de Sacram Tract.* 10. *de Sacram. Matrim. cap.* 17. *dub.* 1. *n.* 4. Inter Canonistas vero *Barbos. in cap. Contracto n.* 3. *de Cognat. Spirit. & in cap.* 2. *sess.* 24 *n* 41. *de Reform. Vivian. n.* 1. *Gonzal. n.* 4. *Perching n.* 25. *Anacl. n* 9. *Wagnar n.* 1. *ad idem cap. de Cogn Spir.*, *& Wiestner Inst. Canon. lib.* 4. *Art.* 2. *n.* 35. *eod. Titul.* Tandem Pyrrhus Corradus testis est, hoc fuisse declaratum à Sacrâ Congregatione, semperque in Curiâ pro similibus casibus responsum similiter fuisse, nullam requiri dispensationem.

Propterea, cupientibus Constantiâ Musettâ Viduâ, & Aloysio Paci Nobilibus Tolentinatibus Matrimonio invicem copulari, cum dubium emerserit, illis impedimentum Cognationis Spiritualis obstare, quia prædictus Aloysius susceperat de Sacro Baptismatis Fonte ejusdem Constantię Filium, ex primo matrimonio natum, & vice versâ, cum illi prætenderent, nullam Cognationem spiritualem inter se contraxisse, quia idem filius fuerat ante in Puerpetio Matris, urgente necessitate, ob ejus vitæ periculum, Domi validè baptizatus, quod ignorabatur, dum fuit rebatizatus;

Quæsitum fuit à Sacrâ Congregatione Concilij: An, inter Constantiam Musetti, & Aloysium Paci, ortum sit impedimentũ cognationis Spiritualis, quominùs possint inter se Matrimonium contrahere in casu:

Et Sacra Congregatio sub die 16. Maij 1711. Respondit: Negativè; Juxta aliam declarationem ejusdem Sacrę Congreg. in Muranâ Cognationis Spiritualis 13. Aprilis 1669.

AD

AD CAPUT XI.

De Sacrificio Missæ.

Decretum Sacræ Congregationis Concilii.
An onus Missarum à Testatore relictum in perpetuum, durante Seculo, duret ultra centum annos.

VII.

CUm opinio fuerit Soti *in 4. sent. dist. 19. art. 2. in fine*, nec non aliorum, Animas, plusquam viginti annis, in Purgatorio non detineri; cumque scripserit *Bartolus in L. annua §. Titia, ff. de annuo leg. nec non in L. si usufructus ff. de usufructu*, legatum annuum factum Civitati, seu Ecclesiæ, spatio centum annorum cessare; Bartolum verò sequantur, *Alexan. Cons. 60. lib. 1.* & plures alii ex veteribus DD. apud *Gratianum decis. 22. per totam discept. 41. num. 3. & ad eam Carol. Anton. de Lucâ*; inferunt ex hoc nonnulli, Legatum Missarum, etiamsi circumscribatur verbis importantibus perpetuitatem, tamen ultra centum annos non extendi. Quam illationem etiamsi dubiam dicat *Surdus de Alim tit. 5. q. 7. num 20* : probabiliorem tamen esse scribit *Diana lib. 5. Tract 14. Miscell. 2. Resol. 84. per totam*, & plures eam tamquam certam admittunt penes *Gratianum dict. decis. 22. n. 4. Discept. 181. num. 3.* nec non penes *Pasqualig. de Sacrific. nova leg. quæst. 1060. per totam*

Verum unaquæque ex dictis duabus opinionibus rejecta est.

Opinio Soti refellitur, & reprobatur a Cardinali Bellarmino *Controvers Tom primo de Purgat. cap. 9 vers præter hos errores: à Cordub lib. 2. q. 32. vers. alia est opinio: Henriq. lib. 7 de Indulg. cap. 16 § 4 Gratian. dictâ decis. 22. n 11. & seqq Ciarl. lib. 2. Controv 143. n 28. & 29.* Refutatur ab Ecclesiâ, quæ pro Defunctis, quos ante centum, & ducentos annos mortuos esse constat, annuatim celebrat: nec enim id permitteret, si verum esset, animas, plusquam viginti annos, in Purgatorio non detineri.

Opinio similiter Bartoli refutatur à Doctoribus in magno numero recollectis a *Calvino de Æquit. lib. 2. cap. 184 à Pelleg. de Fidecomm. art. 30. n. 13. a Ciarl. à Pasqualig. locis cit.*

Ita,

Ita, ut communis hodie, ac verior ſententia ſit, quod legatum annuum Miſſarum regulariter cenſeatur perpetuum, quotieſcumque voluntas Teſtatoris in contrarium expreſſa non habeatur. Eam porro tenent, ac defendunt, contrariis refutatis, *Gratian. Ciarl Paſqualig. Calvin. loc. alleg. Carol. Ant. de Lucâ ad Grat dicto cap.* 131. *Bonacc. de Contract. Diſp.* 3. *quæſt.* 17. *punct.* 8. §. 6. *n.* 2. *Monacell. par.* 2. *Tit.* 12. *Form.* 2. *num.* 44. ubi duas Declarat: Sacr. Congreg. refert. Diana quoque in praxi ſervandam eſse cônfitetur.

Nec dictio adjecta, *ſeculo durante*, reſtringit præcedentem dictionem *in perpetuum*: verba enim præcedentia magis influunt in ſubſequentia, quam hæc in illa: *Coccin. deciſ.* 1125. *n.* 14. *deciſ.* 2283. *n* 77.: Maximè, quod dictio, *ſeculo durante*, quemadmodum promiſſio à Redemptore ſuis Diſcipulis facta, ante quam in Cœlum adſcenderet, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſumationem ſeculi; Math. cap.* 28. *verſ.* 20. idem continet, ac, priùs Mundus deſinet, quam mea, in Eccleſiâ, deſinat præſentia, ut explicat ibi *Cornel. a Lapid.* & pluries in Evangelio, *filij hujus ſeculi*, intelliguntur Filij hujus Mundi: *Luc. cap.* 16. *v.* 8. *cap.* 20. *v.* 34. & apud D. Paulum *ad Rom. cap* 12. *v.* 2. *Nolite conformari huic ſeculo*, idem ſonat, ac, nolite conformari huic Mundo. Quotieſcumque autem dubium eſt in caſu noſtro, debet ſtare pro perpetuitate: *Cerr. deciſ.* 44. *n.* 41. *Tom. primo*.

Quamobrem, cum in Civitate Bononiæ, de Anno 1544. relictum fuerit Patribus Sanctæ Mariæ Servorum à Teſtatore onus celebrandi pro Animabus ſuâ, ſuæque Conjugis, ac ſuorum Prædeceſſorum, unam Miſſam planam, ſingulis diebus, *in perpetuum, durante ſeculo*;

Quæſitum fuit à Sacrâ Congreg. Concilij, ſub die 13. Decembris 1718. An onus dictæ Miſsæ planæ duret ultra ſpatium centum annorum, vel potius, tranſacto dicto tempore, remanſerit extinctum?

Sacr. Congreg., examinato articulo, ſub die 17. ejuſdem Menſis Decembris, reſpondit,

Ad primam dubij partem, *Affirmativè*: ad ſecundam, *Negativè*.

Decretum Sacræ Congregationis Concilij, quod in Oratorio privato, in quo, ex causâ infirmitatis, à Sede Apostolicâ conceditur, ut, etiam in die Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, Missa celebretur; non una tantùm, sed singulæ tres Missæ possunt celebrari.

VIII.

INter alios veteres Ecclesiæ ritus, qui, moribus immutatis, & exigente temporis conditione, à Summis Pontificibus, & Oecumenicis Concilijs, pro summâ potestate, ac infallibili auctoritate, quam in Populum Christianum habent, variati fuerunt, & innovati; usus erat, ut à Sacerdotibus plures Missæ, in die uno, suadente non tantum necessitate, verùm etiam solâ devotione, celebrarentur.

Legitur, hoc in pluribus Conciliis permissum. In Concilio Emeritensi sub Vitalino Pontifice Anno 668. cap. 18. cautum fuit, ut Presbiter, qui plures Ecclesias habuerit commissas, pro singulis Dominicis diebus, in singulis, Deo Sacrificium offerret. In Toletano XII., sub Agathone Papâ, anno 681. can. 5. præcipiebatur, ut, si Sacerdos, in eodem die, plurima Deo Sacrificia offerret, in omnibus etiam sumeret communionem. In Salegustadiensi, sub Benedicto Papa VIII. anno 1022. can. 5. statutum erat, ne quis præsumeret amplius, quâm tres Missas in die celebrare.

Extant exempla virorum, qui doctrinâ, & Sanctitate celebres in Ecclesiâ fuerunt. Leo enim III. septies, vel novies, uno die, Missam sæpius celebrabat, ex testimonio Walfridij, cui a vitio oculorum, Strabo, cognomen fuit, *Lib. de exord. et increm. Rer: Eccles. cap.* 21. *Baron. Tom.* 9. *Anno Dom* 816. *n.* 54 nec non Henric Kalte. *in oratione habitâ ad Conc. Basilen penes Arduin. Concil. Collect. Tom.* 8. Idem scribunt de S. Uldarico Episcopo Augustano Berno Abbas Augiensis, *apud Sirium Tom.* 4: de Sanctis Norberto, & Alberto idem Sirius apud Cardin Bona *Rerum Liturgic. lib.* 1. *cap.* 18. §. 5. de Sancto Libentio Bremensi Episcopo Krantius *lib.* 4. *cap.* 11.

Fueruntitem plures dies, apud Veteres, ac certæ festivitates, quos dies Polyliturgicos vocat Card. Bona, in quibus bis,

vel ter Sacrificium, ab eodem Sacerdote in usu erat offerri, ut videre est apud eumdem Card. Bona *dicto cap.* 18. §. 5. *&* §. 7. *& Gonzal. in cap. consuluit* 3. *de celebrat. Miss. n.* 3.

Verum considerans Alexander II. valdè felicem esse, qui unam tantum Missam digne celebrare posset, primus fuit, qui Anno Dom. 1065. hunc ritum, seu usum non approbans, censuit sat esse Sacerdoti unam Missam, singulis diebus celebrare. *Can. sufficit* 53. *de Consecrat. dist.* 1. Cui subscripsit deinde Innocentius III. *in cap consuluisti de Celebrat. Miss.* decernens, quod, nisi causa necessitatis suaderet, excepto die Nativitatis Domini, sufficiebat Sacerdoti semel unam Missam celebrare. Tandem Honorius III. eidem immediatè succedens, in *cap. Te referente eod. Tit.* sat esse cuilibet Sacerdoti, quacumque dignitate fulgeret, unam tantum Missam in die celebrare, confirmavit.

Hinc, veteri usu pluries in die celebrandi Missam abrogato, abrogatisque cæteris diebus Polyliturgicis, solus dies Nativitatis Domini in suo antiquo ritu remansit. Quippe, in Conciliis postea habitis, prohibitâ plurium Missarum in eodem die per eumdem Sacerdotē celebratione, excipitur solum, & reservatur Dies Nativitatis Domini, *Concil. Rothomag. Ann. Dom.* 1231. *can. nullus audeat, Concil. Oxoniens. Ann.* 1222. *can ad excitandum. Concil. Nemaus. Ann.* 1284. *Tit. de Celebrat. Miss. Concil. Wigorn.* 1240. *Ep.* 26.

Qui ritus celebrandi tres Missas in die solemni Nativitatis Domini, à primis Ecclesiæ temporibus institutus, jam per sexdecim ferme secula, piâ totius orbis Christiani consuetudine numquam interruptâ, fuit observatus. Institutum enim fuisse a Telesphoro Papâ octavo post Divum Petrum, Anno 145 multi non vulgaris notæ viri scripserunt, *Albin Flac lib. de Div Offic. de Nativit Dom. Amalar. Fortun. de Ecclesiast. Offic lib* 3 *cap* 41. *Walfrid Strabo, in alleg. cap* 21. *Rupert. Ab Tuitiens. de Divin. Offic. lib.* 3. *cap.* 17. *Durand. Ration. Divin. lib* 6. *cap.* 13 *n.* 8. *Azor. Instit. Moral. lib.* 10. *cap.* 24. *quæst.* 8 *p.* 1. *Marchin. de Sacr Ordin. Tract* 3. *par.* 2. *cap* 37 *n.* 3.

Verum cum *in can. Nocte Sanctâ*, 48. *de Consecrat. dist.* 1. quem Canonem ad hoc probandum allegant, nihil de numero Missarum Telesphorus dicat, sed tantum decernat, Missam

celebrari ante diem, quemadmodum id decrevisse referunt *Euseb. in Chron. & Baronius Ann.* 154. *n* 2. nec ullus alius Canon super hoc habeatur, ut notat *Suar. in* 3. *part. D. Thom. quæst.* 83. *Art.* 2. *dist.* 80. *sect* 3. vel dicendum est, institutum hujusmodi fuisse ab eo tempore usque ad nostrum semper observatum, vel veriùs cum Gonzal. *in notis ad cap. consuluisti sub lit. B.* Telesphori constitutionem, quæ quidem ab ejus tempore recepta in Ecclesiâ fuerit, esse deperditam. Est enim in hominum opinione adeo firmum, hoc a Telesphoro decretum fuisse; ut Card. Bellarm. *de Rom. Pontif. lib.* 4. *cap.* 8. *vers* 4. Cardinalis Lauræa *in* 3. *sentent. Disp.* 8. §. 11. *n.* 157. Abraham Bzovi *de Rom. Pontif. cap.* 2. Telesphorum defendant a Centuriatoribus, & Maldeburgensibus, qui eum criminabantur, quod, tres Missas eo die celebrari, præcepisset.

Verùm, etsì Sacerdotibus tres Missas, in hoc sanctissimo die, celebrari permittatur, non tamen ad singulas tres celebrandas obligantur, cum possint unam tantummodo celebrare. *Navar. Cons.* 1. *per totum de Celebr. Miss. & in Manual. cap.* 25. *n.* 87. *Barbos. ad dictum Can. Nocte Sanctâ. n.* 5. *Favend. de Precept. Eccl. Tract.* 1. *precept. lib.* 3. *cap.* 16. *n.* 2. *Marcb. dicto cap.* 37. *n.* 3. *Pasqualig. de Sacrif. Nov. leg. Tom.* 2. *quæst.* 1253. *Dian. par.* 4. *Tract.* 4. *Resol.* 236.

Ad præceptum quoque de audiendâ Missâ adimplendum, sat est eo die unam tantum ex tribus audire *Barbos. ad dictum Can. Nocte Sanctâ n. 6. Bonacc. de Sacram. Eccl. Disp.* 4. *quæst ult. Punct. XI. n.* 10. *Layman. Theol. Moral. lib.* 5. *Tract* 5. *cap.* 4. *n. 6. Fill. Tract.* 5. *cap.* 7. *n.* 207. *Favend. dicto cap.* 16. *n.* 2.

Ex hoc igitur, quod Sacerdotes unam tantum Missam celebrare possunt, & unam tantum omnes audire obstringuntur, oritur dubium. Cum enim soleant Summi Pontifices, illis, qui nobili genere nati sunt, benigniter indulgere, ut in privatis suæ habitationis Oratoriis, unam Missam pro unoquoque die (Paschatis, Resurrectionis, Natalis Domini Nostri Jesu Christi, nec non alijs solemnioribus Anni festis diebus exceptis) celebrare facere possint; cumque pro Infirmis, qui, propter corporis imbecillitatem, domo egredi, ad Missam audiendam, nullatenus valent, indultum etiam ad dies exceptos extendentes, *ut etiam prædictam unicam Missam, diebus supra exceptis, celebrare face-*

facere possint, miseratione commoti, summâ benignitate, concedant; dubitatur: An in dictis privatis Oratoriis, die Nativitatis Domini, possint singulæ tres Missæ, aut una tantum celebrari?

Nam, cum Pontifex extendat indultum ad dies exceptos, non vero ad numerum Missarum, quin potius, quoad has, restrictionem præservet illis verbis: *prædictam unicam Missam, in privatis Oratorijs, etiã diebus, ut supra, exceptis*, dicendum videtur, mentem Pontificis fuisse, quod plusquam una Missa celebrari non debeat, quam nempe, ad præceptum eo die adimplendum, audire tantummodo sufficit, prȩsertim cum privilegia ultra ea, quæ sunt verbis expressa, non extendantur: ut in his terminis Oratorij privati observat *Pasqualig. de Sacr. novæ leg. Tom.* 1. *q.* 633. *n.* 3.

Ex aliâ parte, cum Pontifex Indultum extenderit pro infirmo, qui præcepto de audiendâ Missâ, ob legitimum Infirmitatis impedimentum, non obstringitur, censendum est, hoc illi concessum fuisse, non ut præcepto, sed ut suæ devotioni satisfaceret, utque animum, dum corpus affligitur, hoc spirituali levamine reficere posset, ac proinde voluisse Pontificem, Infirmum quoque integrê consolatione illâ gaudere, quâ ceteri Fideles, tres eo die Missas audientes, perfruuntur.

Præterea, cum in unaquaque ex dictis tribus Missis, triplicis Christi generationis Mysterium recolatur, æternæ scilicet, ac divinæ, temporalis, ac humanæ, spiritualis denique, qua oritur, tamquam Lucifer, in cordibus nostris, ad mentem *D. Thom. & Suar. ad eamdem quæst.* 83. *Art.* 2. *Disp.* 80. *sect.* 3. vel triplex per eas hominum status significetur, ante legem, sub lege, aut post legem, *Gloss. in cap. Consuluisti Suar. l. c.* præsumendum est, Pontificis mentem fuisse, ut singulas audiendo, integrum Mysterium recolere Infirmus posset, & divinam charitatem in illis meditari.

Huc accedit, quod, quemadmodum, cum Summus Pontifex concedit unam Missam, in Oratoriis privatis, pro unoquoque die, celebrari, comprehensus non intelligitur, etiam si in Indulto non excipiatur, dies Feriæ sextæ Hebdomadæ Sanctæ, unicus in Anno dies Aliturgicus, quia est prohibitus ab Jure, cui semper præsumitur Pontifex conformari; sic, posito, quod à Pontifice concessum fuerit, pro unoquoque die etiam excepto,

unam

unam Missam celebrari, non est excludendus unicus dies Polyliturgicus, qui est dies Natalis Domini: ne, quod Sacri Canones concedunt, illud Indultum prohibeat.

Quamobrem, proposito dubio Sacrę Congregationi Concilii, sub die 16 Decembris 1724. In una, *Dubium Oratorij Privati*.

An in Oratorio privato, in quo, ex causâ Infirmitatis, à Sede Apostolicâ conceditur, ut Missa Die Nativitatis Domini celebretur, tres Missæ ab eodem Sacerdote celebrari possint, vel unica tantum Missa sit celebranda, in Casu &c.

Sacra Congregatio sub die 20. Januarii 1725., eo examinato, respondit.

Ad primam dubij partem, *Affirmativè*, & ad secundam, *Negativè*.

Decretum Sacræ Congregationis Concilij, quod Parochi non habentes Congruam, & Vicarii, seu Rectores amovibiles Ecclesiarum Parochialium teneantur Missam applicare pro Populo.

IX.

Cum inter alia, quæ præcepto Divino mandantur omnibus, quibus Animarum cura commissa est, injungatur, Sacrificium pro ovibus suis offerre *Concil. Trident. sess. 23. cap. 1. de Reform.* quæstio est inter Doctores, an, etiam fructum Sacrificij pro eis applicare, præcipiatur?

Plures in eâ sunt opinione, nullâ Parochos obligatione Missam Parochialem pro Populo applicandi constringi; *Suar. Tom. 3 in 3. par. D. Thom. quæst. 83. Disp. 86 Art 6. sect. 1. Vasq. ad eamdem quæst. 83. Art 6. Disp. 234 cap. 4. n. 27. Card de Lugo de Sacram. Euch. Disp. 21. sect. 1. Castropal. par. 4. Tract. 22 Disp unic. Punct. 13. n. 7. Laym. lib. 5. Tract. 5. cap. 3. n. 3. Fill. Tract. 5. cap. 6. n. 114. Possev. de Offic. Cur. cap. 2. n. 4. novissimè Petrus de Marc. de Benefic. Eccles. quæst. 3. §. 6. sec. 2. num. 598.*

Existimant alii, ad præceptum Divinum, quod à Concilio Tridentino declaratur, implendum, satis esse, si Parochi, diebus solemnioribus, vel aliquoties in anno, Missæ Sacrificium pro Populo applicent, *Marchin. de Sacr. Ord. Tract. 3. par. 2. cap. 30. n. 2.*

n. 2. *Pasqual. de Sacrif. Novæ Leg. quæst.* 853. *per totam*, *Leand. Tom.* 2. *Tract.* 8. *de Sacrif. Missæ Disp.* 5. *quæst.* 5. *Giribald de Sacram. par.* 1. *Tract* 5. *cap* 5. *Dub.* 2. *n.* 13. *Sebast. D' Abreu Inst. Paroch. lib.* 4. *cap.* 9. *per totum*.

Defendunt nonnulli, Parochos, etiamsi ad applicationem Sacrificii non obligarentur, tamen illis diebus, quibus Missam celebrare pro suis ovibus tenentur, non posse Eleemosynam manualem recipere, *Barbos de Offic & pot. Paroch. cap* 11 *n.* 13. *& in Apost. Deus. Collect.* 476 *n.* 13. refert declarat. Sacr. Congreg. Conc. *in unâ Fanen.* 1. *Septemb.* 1629. *Reginald. Prax. For. Pænit. lib.* 23. *cap.* 17. *n.* 283. *Cordub. lib.* 1. *quæst.* 4. *Dub.* 6. *Dian. par.* 4. *Tract.* 4. *Miscell. Resol.* 232. *recedens à contrariâ sententiâ*, *de quâ in Resol.* 20. *par.* 2. *Tract.* 14.

Multi vero, Consuetudinem Diœcesis, seu leges Synodales, seu declarationem Episcopi attendendā esse scribunt. *Suar. d. Disp.* 86. *sect.* 1. *Vasq. d. disp.* 234. *cap.* 4. *Fill d. cap:* 16. *num.* 174. *Dian. d. Resp.* 26 *Barbos de Offic. & pot. Epis p.* 2. *Alleg.* 74. *num.* 23. *Pax. Jord. libr.* 5. *Tit.* 1. *n.* 521. *Petr. de Murc. de Paroch. p.* 3. *quæst.* 5. *n.* 3.

Alij tandem, arbitrio Prudentum, numerum dierum, quibus pro Populo Missam applicare Parochi debeant, relinquunt.

Verùm è contrariò Sotus in sententiâ est, teneri Parochos, singulis diebus Missam celebrare, eamque pro Populo applicare: *In* 4. *sent. Dist.* 13. *quæst.* 2. *Art.* 2. *& de Just. & Jur. lib.* 9. *quæst.* 3 *Art.* 1.

Hanc tamen Soti opinionem, pro Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis, non vero pro Parochialibus, probabilem putat Azorius. Sufficere enim censet, si Parochus sacrum faciat omnibus diebus, quibus Populus sibi commissus rem divinam audire debet: *Inst. Moral. par.* 1. *lib.* 10 *cap.* 74. *quæst* 41.

Nec desunt etiam, qui putent, saltem singulis Dominicis diebus, aut semel in Hebdomadâ, ad applicandum pro Ovibus suis, Parochos obligari. *Donat. Rer Reg. Tom.* 3 *Tract.* 7. *q.* 52. *Bonac. Tom* 1. *Disp.* 4. *de Sacram. Euch. quæst. ultimâ punct.* 7. *num.* 5. *Castropal* qui licet eam non sequatur, communem tamen sententiam vocat, *d. punct.* 13. *n.* 8 *vers. si vera*.

In hac tam multiplici, & involutâ opinionum diversitate, quæ à vario, & diverso Conciliaris Decreti intellectu oritur,

Sacra

Sacra Congregatio Concilii, quæ erecta à Pio IV. ejus Constit. 80., & confirmata à Sixto V. alterâ ejus Constitutione Tom. 4. amplam habet ab eis facultatem interpretandi Concilium Tridentinum, quotiescumque aliqua difficultas, seu dubietas emerserit; pluries declaravit Parochos, in vim Decreti ejusdem Concilii *in cap. 1. sess. 23 de Reform.* obligatos esse ad Sacrificium pro ovibus suis applicandum, singulis diebus, quibus Missam celebrare tenentur.

Et omissis antiquis Declarationibus, quas eadem Sacra Congregatio confirmavit *in una Pistorien. & Praten. sub die* 14. *Febr.* 1699., & auctoritate Apostolicâ, Ven. Mem Innocentius XII. suo speciali Brevi, approbavit, sub die 24 Aprilis ejusdem Anni; plures recentes habemus *in unâ Pampilon.* 18. *Novemb.* 1702. *&* 31. *Maij* 1704. *In unâ Camerin.* 28. *Junij* 1704. *In unâ Viterbien.* 31: *Martij* 1708:

Firmatâ igitur tot declarationibus hac Parochorum obligatione, & cessantibus tot inter Doctores diversis opinionibus, solum quo ad hoc duæ difficultates, seu dubia emerserunt.

Primum: An Parochi non habentes congruam; Secundum, An Vicarius, seu Parochi amovibiles comprehendantur sub hac Declaratione, an vero ab hoc onere eximantur?

Quoad primum dubium, cum Parochi non ratione sustentationis, sed Officij, ac muneris Parochialis, eodem modo, quo ad cœtera munera Parochialia, ita ad offerendum Sacrificium pro suis ovibus obligentur; Sacra Congregatio usque sub die 8. Augusti 1648., in unâ Civitatis Castellanæ, declaravit, etiam Parochos non habentes congruam, obligari: quod eadem Congregatio confirmavit in dicta Pistorien., & Prat. & approbavit Innocentius XII: ejus Brevi, *quod habetur in Secundâ Nostrâ Synod in Addit. part:* 2.

Et novissimè, cum Episcopus Forosempronienfis, post venerata sacra Apostolorum limina, in relatione status ejus Ecclesiæ, eidem Sacrę Congregationi exposuerit, plures Ecclesias Parochiales adeo tenues redditus habere, ut, nec deductis etiam oneribus. ad summam triginta scutorum ascendere, nec, ex paupertate Parochianorum, augumentum consequi facile possent, & earum Rectores in visitatione moniti de applicandâ

Missa

Missâ pro Populo, promptiores ad Ecclesias dimittendas repererit; quærebat, quid agere debuisset?

Et propositis, sub die 25. Januarij 1716., his duobus Articulis,

I. An Parochi, de quibus agitur, non habentes congruam, teneantur applicare Missam pro Populo, saltem diebus festivis, ita ut sint cogendi in casu &c.

II. An Parochi, de quibus agitur, habentes pingues redditus, teneantur quotidie applicare Missam pro Populo, in casu &c.

Sacra Congregatio, sub die 8. Februarij 1716., Respondit,

. Ad primum, *Affirmativè, & dentur decreta, & amplius, signanter in Una Civitatis Castellanæ*, 8. *Augusti* 1648.

Ad secundum, *Negativè, & amplius.*

Quoad secundum Dubium,

In Diœcesi Ostiensi, adsunt quatuor Parochi amovibiles, qui nihil recipiunt à Populo, nullaque emolumenta, tam certa, quam incerta habent, præter id, quod consequuntur a Dominis Castrorum, in quibus Ecclesiæ Parochiales sitæ sunt. Quorum Parochorum duo non habent nisi quinquaginta Parochianos, ex aliis duobus, unus decem, & alter septuaginta tantum, ob notam aeris insalubritatem: qui numerus tamen, tempore hyemali, tum pro culturâ agrorum, tum pro custodiâ Animalium augetur. Verum, cum ob assumptum onus Curam exercendi, omnia quoque munia Parochialia subire debeant, Promotor Fiscalis, ut suo muneri satis faceret, recursum habuit ad Sacram Congregationem Concilii pro declaratione; An prædicti omnes Parochi teneantur Missam pro Populo applicare, omnibus Festis de pręcepto? Et Eminentissimus Ordinarius ejusdem Sacræ Congregationis judicio se remisit. Quamobrē proposito Articulo in Sac. Congregatione Concilij, *sub die* 26: *Januarij* 1724:

An Parochi teneantur Missam applicare pro Populo, diebus Dominicis, & Festis de præcepto in casu &c.

Sacra Congregatio respondit: *Teneri, & ad mentem:*

AD CAPUT XII.

De Sacramento Pœnitentiæ.

Decretum Sac. Congr. Conc de Absolut. Monial. exempt. et Prel. Regul. subjectarum à Casibus Episcopo reservatis &c.

X.

DUo sunt, quæ attinent ad Jurisdictionem Episcopis delegatam super Moniales exemptas, & Regularium Prælatis subjectas, Custodia Clausuræ, & approbatio Confessarii, tam Ordinarii, quã Extraordinarii ad earũ Confessiones audiendas.

Custodia Clausuræ exigit ab eis, ut, ubi est inviolata, conservetur: ubi vero violata fuerit, restituatur: quæ custodia Episcopis commissa fuit, eo ipso tempore, cum gravi præcepto inceperunt Moniales omnes, ex Constitutione Bonifacij VIII., ad clausuram obligari. Antea enim habebantur pro eâ observandâ potiùs consilia, quam præcepta: *Tambur. de Jure Abbatis. & Monial: Disp.* 18. *quæst.* 3. *n.* 1. *Pellizar. de Monial. Tract.* 10. *cap.* 5. *sect.* 1: *n.* 4. *Henriq. quæst. Reg. Tom.* 1. *quæst.* 44. *Sanch. lib.* 6. *Moral. cap.* 15. *n.* 11. Bonifacius vero VIII., *suâ Constitut. in cap. Periculoso, de statu Regul. in* 6. ne Moniales, extra Monasterium, cum religiosę honestatis, & verecundiæ detrimento, per habitacula Seculariũ discurrerent, & intra Monasterium personas suspectas admitterent, Clausuram strictè pręcepit, eamque custodiendam, & conservandam Episcopis, non solum in Monasterijs sibi ordinario jure subjectis, sed etiam in exemptis, Apostolicâ auctoritate commisit.

Et cum ejus Constitutio non ubique recepta fuisset, & communiter minus observata, Concilium Tridentinum eam instauravit, & renovavit, *sess.* 25. *cap.* 5. *de Regul.* Quæ Clausuræ custodia non est materialiter sumenda, cum omnia, quæ ad eam pertinent, & reducuntur, comprehendat, *Pelliz. dicto Tract.* 10. *cap.* 5. *sect.* 1. *q.* 6. *n.* 10. *Pignatt. Tom.* 9. *Consult.* 187. *n.* 3. quemdamodũ deducitur etiã ex Constitutione, *Inscrutabili*, Gregorij XV *quæ habet. post Secund. Synod: in Addit. par.* 2.

Approbatio similiter Confessariorum, non ad Superiorem Regularem Monialium, sed ad Episcopum tantum spectat, in cujus Diœcesi situm est Monasterium. In eâdem enim Constitu-

ſtitutione *Inſcrutabili*, Gregorius XV. declaravit, Confeſſarios, ſive Regulares, ſive Seculares, tam Ordinarios, quam Extraordinarios, ad Confeſsiones Monialium, etiam Regularibus ſubjectarum, audiendas, nullatenus deputari poſſe, niſi prius ab Epiſcopo Diœceſano idonei judicentur, & approbationem obtineant: quæ Conſtitutio eſt inter alias Conſtitutiones Greg. XV. *la* 19.: Ita ut, ſi Superiores Regulares, non obtentâ Epiſcopi approbatione, earum Monialium Confeſſionem audiſſent, Confeſſio nulla, & irrita eſſet, ut, exortis varijs dubijs ſuper dictâ Conſtitutione *Inſcrutabili*, reſpondit ad VIII. Sacra Congregatio Concilii: cujus reſponſa approbata fuerunt ab eodem Gregorio XV. & Urbano XIII., *ut in Bullar. Tom.* 3. *poſt dictam Conſtitutionem* 19. Quod adeò certum eſt, ut etiam ipſe Pater Generalis indigeat approbatione Epiſcopi, ſine quâ nullatenus earũ Confeſſiones poteſt audire: *Sacr. Congreg. apud Barb: Sum. Apoſt. deciſ. Collect.* 205. *n.* 13. *Tambur. de Jure Abbatiſ: & Monial. diſp.* 16. *quæſt.* 9. *n.* 11. *Bord. Var. reſol. Regul. Tom.* 2. *p.* 1: *reſol.* 36. *n.* 8. *Donat. Rer. Regular. Tom.* 4. *tract.* 13. *quæſt.* 10.

Ex quo, cum Abbas Lubenſis Ordinis Ciſtercienſis contenderet ſibi competere jus approbandi Confeſſarios, pro Sanctimonialibus Monaſterii Trebivicenſis ſuo ſubjectis Ordini, contradicente Epiſcopo Uratislavienſi, in cujus Diœceſi ſitum eſt Monaſterium, allegans pro ſe privilegia, & immemorabilem conſuetudinem, poſt deciſiones Rotales contra eum emanatas, propoſito articulo in Sac. Congregatione Concilii, die 10. Januarij 1723. An votum Rotale eſſet exequendum? Sacra Congregatio, ſub die 30. ejuſdem Menſis, reſpondit, *Approbationem Confeſſariorum pro Monialibus ſpectare ad Archiepiſcopum*.

Hæc non controvertuntur. Controvertitur ſolum, An ſupradicta Juriſdictio, ex duplici capite, Epiſcopis delegata, extendatur ad jus reſervandi peccata Confeſſariis, qui ab eis, ad audiendas Confeſſiones Monialium Regularibus ſubjectarum, approbantur?

Et pro affirmativâ, conſiderandum occurrit, quod, ſicut ad Epiſcopos ſpectat Confeſſarios approbare; (approbatio autem eſt collatio Juriſdictionis, ſine quâ abſolvere nequeunt, *Facund: de Præcept. Eccl. Præcept.* 2. *lib.* 7. *cap.* 3. *n.* 4. nec non juriſdictio cum approbatione conjungitur *Caſtrop. de Sacr. Pœnit. Tract.* 23.

disp. unic. punct. 17. sect. 1. n. 3.) ita poterunt etiam illos cum limitatione approbare, & consequenter absolutionem peccatorum, ad quæ non approbantur, sibi reservare; *Suarez. in 3. part. D. Thom. disp. 29. sect. 1. n. 4. Tom. 4. Card. de Lug. de Sacr. Pœnit. disp. 20. sect. 1. n. 1. Becan. de Sacr. cap. 4. quæst. 2. Floron. de Casib. reservat. part. 1. cap. 1. num. 1. & cap. 4. §. 12. n. 4.*

Nec videtur obesse posse, quod Gregorius XV. delegando Episcopis Approbationem Confessariorum, Moniales à subjectione debitâ superioribus Regularibus non exemerit. Nam etiam Peregrini, licet subjecti non sint Episcopo Reservanti, nihilominus, si peccata, quæ in loco, è quo discesserunt, reservata non erant, in ejus Diœcesi, ubi reservata sunt, confiteantur; absolvi non possunt à Confessario, qui facultatem absolvendi à reservatis non habet. Jurisdictio enim non afficit Pœnitentes, sed Confessarios, *Suar. ut supra dis. 30. sect. 1. n. 6: Card. de Lug. dicta Disp. 20. sect. 5. n. 7. Basseus in florib. cas. reserv. num.* 11.

Pro negativâ verò, stat regula generalis, quod eorum peccata reservari possunt, qui subditi sunt reservantis, *Card. de Lug. disp. 20. sect. 2. n. 9.* ac proinde, cum Moniales subjectæ Regularibus sint exemptæ ab Jurisdictione Episcopi, nec ejus quidem reservationi subjacent. *Pelliz. Man. Regul. Tom. 1. Tract. 6. cap. 2. sec. 2. n. 12.* & alii. Neque officit, quod approbatio Confessariorum a Greg. XV. delegetur Episcopis, quia sola approbatio non est Jurisdictionis concessio, sed habilitatis personæ authentica declaratio: *Laym. lib. 5. Tract. 6. cap. 11. n. 7: Becan. de Sacr. Pœnit. cap. 38. q. 11. n. 3. Suar. 28. sec. 4. n. 22: Castropal. dicto Tract. 23. punc. 17. sec. 1. n. 63.* & ideò volunt, quod Monialiũ Confessarij approbationẽ habeant ab Episcopis; Jurisdictionem autem, ab earum Superioribus.

Facilè tamen hæc controversia sedatur, si ex dictis duabus sententiis, utraque inter suos cancellos restringatur. Vel enim agitur de casibus ab Episcopo sibi specialiter reservatis, quoad Moniales in materiâ clausuræ spectante, cujus jurisdictio, non solum quoad materiale, sed etiam quoad formale, fuit illi a Sede Apostolicâ, ut supra, delegata; & tunc his casibus subjacent etiam Moniales exemptæ, & Superioribus Regularibus subjectæ. *Pelliz. de Monial. Tract. 10. cap. 10. sect. 1. subsect. 2: n. 47.*

n. 47. & seq. Cespes de Exempt. Regul. cap. 23. Dub. 357. n. 4. Donat. Rer. Regul. Tom. 4. Tract. 13. quæst. 33. per totam.

Vel agitur de casibus reservatis non in ordine ad Clausuram, sed quoad ea, in quibus Episcopi non habent jurisdictionem delegatam, illisque competentem in sequelam Bullæ Greg. XV. ac Sacr. Conc. Trident. & tunc reservationi non subjacent, sed, juxta communiorem sententiam, ab earum Confessariis possunt absolvi.

Quamobrem, cum Coloniensis Archiepiscopus, & Elector Coloniæ, aliquos casus reservaverit, & Regulares Confessarii Monialium sibi subjectarum contenderent, se à dictis casibus esse exemptos, proindeque easdem Moniales absolvere posse, Sanctissimo Domino Venerab: memor. Clementi XI. supplicavit pro declaratione, quod Regulares non possent absolvere ab ijsdem casibus sibi reservatis, non solum Seculares, sed nec Moniales, licet ab Ordinarij Jurisdictione exemptas, & illis subjectas. Hinc propositis his dubijs,

I. An Confessarii Regulares possint Seculares, extra mortis periculum, absolvere a casibus Ordinario reservatis, in Casu &c:

II. An Confessarij Monialium exemptarum, & Prælatis Regularibus subjectarum, possint easdem, etiam extra Mortis periculum, absolvere a casibus Episcopo reservatis in Casu &c:

Sac. Congr. Concilii, sub die 16. Novemb. 1716: Respondit, Ad primum, *Negativè*; Ad secundum, *Affirmativè, præter quam quoad casus, quos Episcopus reservaverit in materiâ Clausuræ spectante ad Jurisdictionem delegatam.*

AD CAPUT XIII.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

Decretum Sacr. Congreg. Concilij, de Religiosis hoc Sacramentum Laicis, irrequisitis Parochis, administrantibus.

XI.

SOlos Presbyteros Ministros esse Sacramenti Extremæ Unctionis, docet nos Beatus Jacobus Apostolus, qui Sacramentum hoc à Christo Domino Nostro institutum, Fidelibus promulgans; *infirmatur*, ait, *quis in vobis? inducat Presbyteros*

Eccle-

Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum in Nomine Domini. Quod declaravit Concilium Florentinum, *in Instruct. pro Armenis vers. Quintum. Minister hujus Sacramenti est Sacerdos:* Et dementissimâ eorum, qui contrarium assererent, temeritatem compressit, & Anathematis fulmine percussit Sacrum Concilium Tridentinum, *Sess.* 14. *de Sacr. Extr. Unct. can.* 4. *Si quis dixerit, Presbyteros Ecclesiæ, quos Beatus Apostolus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo Ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate, ob idque, proprium Extremæ Unctionis ministrum non esse solum Sacerdotem, Anathema sit*. Errores item eorum, qui Presbyteros non esse solos hujus Sacramenti Ministros asseruerunt, pleniore, & doctiore calamo, confutat Cardinal. Bellar. *Controv. Tom.* 3. *de Sacr. Extr. Unctionis cap.* 2. *&* 3. & post eum Junenin. *Tom.* 2. *de Sacram Dis.* 7. *de Extr. Unct. cap.* 1. *per totum* Ludovic. Habert *Theol. Dogm. & Moral Tom.* 6. *Tract. de Sacramen. Extr. Unct. cap.* 1. *&* 4.

Verum, etsi Presbyteri hujus Sacramenti Ministri sunt, ac proinde illud quilibet Sacerdos administrare validè potest, non tamen administrare omnes & licitè possunt. Exigit enim licita illius administratio Jurisdictionem in Infirmum ab Ecclesiâ non impeditam: & hanc habet Parochus, cui præcepto Divino mandatum est, pascere oves suas Sacramentorum administratione, *Concil. Trident. sess.* 23. *cap.* 1. *de Reformat.*

Quamobrem, Divus Carolus *in Conc V. Provinc. par* 1. *de his, quæ pert. ad Sacr. Extr. Unct.* declaravit, quod nullus alius Sacerdos, nisi Parochus hoc Sacramentum administret; *& in instruct. visit. Infir. agens de Sacr. Extr. Unct.* iterum in memoriam Presbyterorum reduxit, *quod non cuilibet Sacerdoti, sed proprio Parocho, qui Jurisdictionem habet, illud ministrare licebit*.

Quod tamquam certum ab omnibus, in Ecclesia, & omnium ore, recipitur: *Roderic. Quæst. Regul. Resol.* 141. *de Unct. Extr. n.* 1. *Laym. lib.* 5. *Tract.* 8. *cap.* 6. *n.* 2. *Coninch. Disp.* 19. *de Extr. Unct. Dub.* 9. *Concl.* 2 *Castrop. Tract.* 25 *Disp. unic. Punc.* 7. *n.* 3. *par.* 2. *Card. Laur. in* 4 *Sent. Tom.* 3. *Disp.* 11. *Art.* 8. *n.* 102. *Bonac. Tom.* 1. *de Sacr. Extr Unct. Disp.* 7. *punc.* 4 *n.* 4. Contendere enim, quod unus munia alterius exercere posset, esset ordinem hierarchicum in Ecclesiâ confundere, & pertur-

bare:

bare: perinde, ac, si contra decretum Divi Pauli, omnes essent Apostoli, omnes Prophetæ, omnes Evangelistæ, omnes Pastores, omnes Doctores 1. *ad Corinth. cap.* 12. *ad Ephes. cap.* 4. *Concil. Trident. sess.* 23. *de Ord. cap.* 4.

Et ideo Clemens V. *Clement. lib.* 5. *Tit.* 7. *de Privileg. & excess. cap.* 1. *ad arcendam Religiosorum audaciam*, (loquar verbis Dominici Soto *in* 4. *Sent. Dist.* 23. *quæst.* 2. *Artic* 1. *vers. At vero*), qui prætextu charitatis, obsequium non rationabile Deo reddentes, mittebant falcem in messem alienam, prohibuit Religiosis, sub pœnâ excommunicationis ipso facto incurrendæ, & Apostolicæ Sedi reservatę, ne Clericis, aut Laicis Sacramentũ Extremæ Unctionis, vel Eucharistiæ ministrare præsumant: Et Episcopis commisit, ut, postquam de hoc eis constiterit, publicè faciant eos excommunicatos denunciare, donec de absolutione ipsorum illis fides facta fuerit. Quæ quidem excommunicatio, tot libris editis, & à tam multis Doctoribus indicatur, ut allegari de illâ ignorantia vix possit, *Henriq. Summ lib* 13 *cap.* 40. §. 4. *lit N. Roderic. alleg. Resol.* 141 *n.* 1. *Donat. Rer Regul. Tom.* 2. *Trac.* 16 *quæst* 9. *n.* 1. *Suar. in* 3. *par D. Thom. Tom* 4. *Disp.* 44. *sect.* 2. *n.* 4., *Castropal. par.* 4. *Tract* 25. *Disp. Unic. Punc.* 7. *n.* 3., *Busemb. lib.* 6 *Tract.* 5. *cap.* 1. *de Extrem. Unct. n.* 8. *Dominic. a Soto dicto Artic.* 1. *Layin. dicto cap.* 6. *n.* 2. *Tambur. lib.* 7. *de Extr. Unct. cap.* 3. §. 3. *Mastr. pluribus alijs citatis Disp.* 22. *de Sacr. Extr Unct. quæst.* 6. *Artic.* 1. *num* 86.

Sed, cum Clemens V. prędictâ suâ pœnali Constitutione, non legitimæ potestatis usum, sed usurpatæ potestatis abusum Religiosis prohibere voluerit, *Suarez de Censur. Disp.* 22. *sect.* 4. *de Excom. reserv in Clement.*, non prohibetur illis, hoc Sacramentum administrare Laicis, dummodo habeant licentiam à Parochis, quemadmodum *in dicto cap.* 1. cavetur: similiter nec Laicis, qui intra septa ejusdem Monasterij manentes, Religiosis inserviunt, & sub eorum obedientiâ vivunt ad formam, de quâ *in Conc. Trid. cap.* 11. *& Barb. in Collect ad d. cap.* 11.

Quamobrem, cum nobilis Vir, defunctâ Uxore, ad Conventum Fratrum Eremitarum, in Civitate Astensi, se contulisset, & in eo, menstruis alimentis solutis, per duos circiter annos, seculari habitu vitam duxisset, lethali morbo correptus,

ptus, receptis Sacramentis Sanctissimæ Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis à prædictis Fratribus, electâque in eorum Ecclesiâ Sepultura, decessit, ibique, reclamante Parocho, intra cujus Pareciæ fines erat Monasterium, fuit sepultus. Delatâ Controversiâ ad Sacram Congregationem Concilij, exhibuerunt dicti Fratres literas patentes Prioris Generalis, quibus idem nobilis Vir, ejusque affines, & consanguinei, inter confratres, & consorores, ut piorum operum Ordinis participarent, assumpti fuerunt: prætendentes, sibi, in vim suorum privilegiorum, id fuisse permissum. Parochus vero è contra contendebat esse in censuras incursos *Clem.* 1. *de privileg.*, ob administratum Viaticum, & extremam Unctionem, quia non concurrebant in eo requisita, quæ pro exemptione copulative concurrere debebant, juxta *cap.* 11. *sess* 24. *de Refor.* unde, proposito dubio in Sac. Congregatione Concilij, sub die 13. Novembris 1717.

An PP. S. Augustini licitè potuerint, irrequisito Parocho, Sacramenta administrare, & corpus tumulare, in Casu &c.

Sacra Congregatio, sub die 27. ejusdem Mensis, respondit *Negativè*.

AD CAPUT XIV.

De Sacramento Ordinis.

Decretum Sacræ Congregationis Concilij,
De Energumenis ad Sacros Ordines non promovendis.

XII.

INter eos, qui promoveri ad Sacros Ordines prohibentur, Energumeni sunt, ut *in Addit. ad Secundam nostram Synodum part.* 4. ubi eos alijs ejusdem notæ adnumeravimus. Pro illorum rejectione ab his sacris muneribus plures Canones habemus.

In Can. Maritum 2. *dist.* 33. qui à Gratiano quidē, D. Gregorio, ab alijs autē, D. Augustino, seu Alcuino, seu Isidoro tribuitur, ut apud Fratres Pithæos *in not. ad eumdem Can* decernitur, quod, qui afflictione (legunt dd. Fratres) afflatione Diaboli vexati sunt, non ordinentur.

In

In Can Usque adeo ejusd. dist desumpto ex Decretis Pontificis Gelasij *Epist. 5. ad Episc. Lucaniæ, cap.* 19. statuitur, illicitum esse, ut Dæmonibus, similibusque passionibus Irretitis, ministeria sacrosancta tractare tribuatur.

In Can. Communiter, qui à Gratiano *in dicta dist.* 33. Pio Papæ I., per errorem, adscribitur, cum à Concilio Toletano 11. *can.* 13. sumptus sit, definitur, ne ullus de jis, qui aut in terra arrepti à Dæmonibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incursibus efferuntur, sacris audeant Altaribus ministrare, vel indiscussi se ingerant Sacramentis divinis.

In Can. Clerici ejusdem dist. 33. Nicolaus I. vult, quod Clerici, qui in Adolescentiâ à Dæmonibus cognoscuntur obsessi, ad superiorem sacri Regiminis gradum ascendere non possint. Plura quoque cum hujusmodi sacris Canonibus, eâdem de re, consentiunt, conveniuntque Concilia.

Concilium enim Arausicanum, *Can* 16. statuit, ut, qui palam aliquando arrepti sunt, non solum non assumantur ad ullum ordinem Clericatus, sed, etsì jam aliqui ordinati sunt, ab imposito officio sint repellendi.

Concilium Eliberit. *Can.* 2. constituit, Energumenis permittendum non esse, ut suâ manu in Ecclesiâ ministrent.

Concilium Aurel. *Can.* 6. declarat, quod Arrepti, ad Ordines non promoveantur.

Ex quo, communis est sententia, apud Doctores, non debere Energumenos, tamquam Irregulares, assumi, ac tantum inter se diffident, an hæc Irregularitas sit perpetua, ita ut, si a vexatione Dæmonum liberentur, adhuc ea duret; an potius, hac deficiente tamquam ejus causâ, etiam illa deficiat?

Et pro ejus cessatione moventur nonnulli ex contrarietate, quæ observatur inter Canones pro Irregularitate allatos. In *Can. enim Communiter*, post prohibitionem, ne Energumeni audeant sacris Altaribus ministrare, sic ea limitatur, ut tan diu sint ab officij sui ordine, & loco suspensi, quousque, unius anni spatio, per discretionem Episcopi, inveniantur ab incursu Dæmonum liberati. Quam limitationem confirmat Canon 78. *Apost.* Ibi enim: *Si quis Dæmonem habeat, Clericus non efficitor, sed neque cum Fidelibus preces fundito: mundatus vero recipitor, & si dignus fuerit, efficitor.* Hanc sententiam, licet cum communi

muni ſententiâ contrariâ, cui paſſim Recentiores ſubſcribunt, pugnare fateatur, tamen inter alios acriter defendit, & rationibus, & objectorum ſolutione, firmat Giball. *de Irregul cap.* 3. *conſect.* 9. *per totum*.

E contrario, hanc irregularitatem eſſe perpetuam, etiamſi ſemel tantum quiſpiam id paſſus fuerit, tenet, & ab objectis vindicat Suar. *de Cenſur quæſt.* 51. *ſec.* 1. *n.* 7., *Majol. de Irregul. lib.* 2. *cap.* 17 *per totum:* Navar., qui ſcribit Energumenum eſſe irregularem, etiamſi ſanus ſit, ſine diſpenſatione Pontificis, Bonacc. *de Irreg. diſp.* 7. *quæſt.* 2. *punc.* 2. *Prop.* 1. *n.* 24. *Tom.* 1. & plures alii, qui citantur à Leandro, *Tom.* 5. *Tract.* 2. *diſp.* 1. *quæſt.* 14. ſolumque ex allato Canone 78. *Apoſt.* inferunt, hanc Irregularitatem eſſe a Pontifice diſpenſabilem.

Non alienum, aut abſonum ſit, id pro hac ſententia referre, quod legitur apud D. Gregorium, *in ejus Dialog. libr.* 2. *cap.* 16. Cum D. Benedictus expulerit Dæmonem à quodam Clerico Aquinenſis Eccleſiæ, juſsit illi, ne umquam ad ſacros Ordines promoveretur Hic vero, multis elapſis annis, præcepto Sancti Patris non obediens, ad ſacros Ordines auſus fuit aſcendere. At, Dæmone ad illum obſidendum redeunte, non niſi morte, fuit liberatus,

Quamobrem, cum Frater Manſuetus de Panormo, Clericus Ordinis Minorum Obſervantium Reformatorum, per aliquod tempus, a Dæmone obſeſſus, & a triennio liberatus, ſupplicaret, ſecum diſpenſari ſuper Irregularitate exinde contractâ, ad effectum ſuſcipiendi Ordines ſacros, remiſsâ inſtantiâ ad Sacr. Congreg. Concilij, novies, ſub die 10. Aprilis 1683. propoſito Articulo,

An prædicta diſpenſatio Oratori ſit concedenda? Sacra Congregatio reſpondit; pro tunc, *Negativè*.

Decretum Sacræ Congregationis Concilij, Filius ex utroque Parente Turcâ in ætate infantili baptizatus, an Irregularis ſit, & incapax Beneficij Eccleſiaſtici?

XIII.

PRo Irregularitate, habetur præceptum Divi Pauli, quo Neophitos in Epiſcopos vetat aſſumi: *Non Neophitum, ne in ſuperbiam elatus, in judicium incidat Diaboli* 1. *ad Thimoth. cap.* 3. *verſ.* 6. Quod

Quod præceptum *in Can.* 3. *Concilij Niceni*, ad omnes Ordines extenditur. Idem allegans divus Gregorius, *Ad sacros Ordines Paulus Apostolus venire Neophitum prohibebat,* inquit *Epist.* 51. *lib.* 3. Syagrio quoque Episcopo Augustodunensi, & aliis tribus Galliarum Episcopis scribens, hoc ipsum confirmat: *Notum est omnibus, quæ sit in hujus rei diligentia sancti, & egregij solicitudo Doctoris, qui Neophitum ad Ordines vetat sacros accedere, libr.* 7. *Epist.* 111.

Habemus item hoc ipsum a varijs Concilijs declaratum. Ita enim in Concilio Laodicensi, *cap.* 4. decernitur: *Non oportet eos, qui nuper sunt illuminati Baptismate, in Sacerdotali Ordine promovere*.

In Concilio Arelatensi 2. *Can.* 1. *Ordinari ad Diaconatus, vel Sacerdotij officium, Neophitus non debet*.

In Concilio Sardicensi, *Can.* 13. *Conveniens non est, nec ratio, vel disciplina patitur, ut temerè, vel leviter ordinetur, aut Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui Neophitus est: maximè, cum Magister Gentium Beatus Apostolus, ne hoc fieret, denunciasse, & prohibuisse videatur*.

Et licet in dicto Canone mentio non fiat de Subdiaconis, nec de alijs Ordinibus, attamen de illis etiam intelligendum esse scribit Suar. *de Censur. Disp.* 43. *sect.* 3. *de Neophitis:* & ideò *in Can. Neophitus* 9. *dist.* 61. generaliter prohibetur, *Neophitum ordinari, ne extollatur in superbiam*: fere ac, ut præmittit Gratianus in principio *Dissert.* 48. in quâ Canones referuntur, quibus Neophiti ordinari prohibentur, *Religio Christiana plurimum eo indigeret; aut Magister fiat, qui numquam discipulus fuit*, ut dolebat *Innocent. I. in Can. Miserum ead. dist.* 61.

Et cum de hoc non dubitetur, a Divo Carolo ponuntur Neophiti inter eos, qui Canonicis impedimentis irretiti, ab omni sacræ Ordinationis limine, & ingressu arcentur. *Concil. Prov.* 4. *part.* 2. §. *quæ pertin. ad Sacr. Ordin. vers Rursus:* nec non *in Edicto de Sacr. Ordin. inter acta Eccl Mediol. par.* 3. Nos quoque inter Irregulares, in Instructione proposita Parochis, pro denunciationibus faciendis, *in Addit. ad Nostram Secundam Synodum par.* 4. collocavimus: & à Giballino inter Irregulares numerantur, qui ex defectu animi ab Ordinibus repelluntur *de Irregul. cap.* 3. *quest.* 3. *Prop.* 3. *per totam*.

M 2 Verum,

Verum, ad excludendam Irregularitatem, & omnem ejus maculam prædicto filio in infantiâ baptizato abstergendam, notandum est, ita rem distinguere Doctores, ut multum interesse dicant inter eos, qui in adultâ, & inter eos, qui in infantili ætate baptizati sunt. Ad primos enim, nempe ad eos, qui Adulti baptizati sunt, omnia quę de Neophitis a Canonibus, & sacris Concilijs constituta sunt, pertinere dicunt, non vero ad secundos, qui Neophiti non sunt reputandi. *Covarr. in Clement. si furiosus par.* 1. §. 2. *n.* 7. *&* 8. *Navar Manu. cap.* 27. *n.* 205. *Suar. de Censur. Disp.* 47. *sect.* 3. *Concluf.* 2. *n.* 5. *Sanch lib.* 2. *cap.* 28 *n* 11. *Sayr. de Censur. lib.* 6. *cap.* 11. *n.* 11. *Bonacc. de Censur. Dist.* 7. *quæst.* 2. *punc.* 1. *n.* 5. *Tambur. lib.* 10. *Tract.* 4. *de Irreg. cap.* 11. §. 1. *Ricciull. de Neophit. cap.* 1. *n* 3. *Marcb. de Sacr. Ord. Tract.* 1. *par.* 10. *cap.* 2. *n.* 6. *Lezzan. Conf.* 16. *num.* 32.

Similiter, quamquam Neophiti, qui indigent dispensatione, ut ordinarij posfint, eâdem indigeant etiam, ut beneficia Ecclesiastica consequi valeant *Pyrr. Corrad.* qui, *in praxi dispensat. Apostolic. lib.* 3. *cap.* 7. *sub n.* 5., formulam affert hujus Apostolicæ dispensationis; Attamen, qui infans baptizatus est, cum re verâ Neophitus non reputetur, ut dispensatione non indiget ad Ordines recipiendos, ita nec ad beneficia obtinenda videtur illi esse necessaria Dispensatio. *Ricciull. in Tract. de Neophit. ex doctrinâ Lambertini de Jure Patr. cap.* 4. *n.* 1.

Quare, cum Joannes Baptista Simon Vivier, qui ex utroque Parente Turcâ natus, Sacramento Baptismi in infantili ętate recepto, fuerat ab Episcopo, qui suę originis perfectam notitiam habebat, omnibus sacris Ordinibus initiatus, & Beneficio Juris Patronatus Laicalis provisus, obtinuisset a Sede Apostolicâ alterum Beneficium, dubitatum fuit, an licite ordinari, & primum Beneficium sibi collatum retinere, & secundum consequi posset? unde propositis his tribus dubijs in Sacrâ Congreg. Concilij,

I. An Orator indigeat absolutione, cum rehabilitatione ad Ordines?

II An indigeat novà provisione Beneficiorum? & quatetus, Affirmativè,

III. An eidem indulgenda sit absolutio, cum rehabilitatione ad

ad Ordines, & cum novà Beneficiorum provisione? Sacra Congreg. sub die 13. Augusti 1718. respondit.

Ad primum, & secundum, *Negativè*: Ad tertium, *satis provisum in duobus præcedentibus dubijs*.

Decretum Sacræ Congregationis Concilij. An Filius Hæretici ab alio Hæretico, ante quam ad usum rationis pervenerit, baptizatus, sit Irregularis?

XIV.

Ex duplici capite Irregularitatem provenire, quâ hujusmodi filius irretitus sit, affirmat Majolus, *de Irreg. lib.* 3 *cap.* 21: *per totum, & lib.* 5. *cap.* 46 *num.* 5.

Primo, ex hæresi paternâ, quam, adeo detestatur Ecclesia, ut, etiam filios Hæreticorum, usque ad secundum gradum, ex lineâ Patris, & usque ad primum, ex lineâ Matris, tamquam Irregulares, ad ullum beneficium, & officium, in Ecclesiâ admitti prohibeat, ex declaratione Alexandri IV. *in cap. Quicumque* § *hæretici de Hæret in* 6 & Bonifacij VIII. *in cap. statutum il* 2 *eod tit.* Et licet in utrâque ex dictis Pontificiis declarationibus sermo sit tantum de Beneficijs, & officiis, attamen ex majoritate rationis, etiam ad Ordines extendunt Majolus *dicto cap.* 46. *num.* 5. *vers Ecclesia*, Suar *de Censur. Disp.* 43 *sec* 3. *n* 1. Sanch *lib* 2 *in Decal. cap* 28. *n.* 1. Bonacc. *Tom.* 1 *de Irreg Disp* 7. *quæst.* 3. *punc.* 7. *n.* 9.

Secundo, ex Baptismo illi ab Hæretico collato. Odio enim ministri Hæretici, ab Ordinibus excluduntur omnes, qui ab eo baptizantur. Hoc similiter statuerunt Felix III in Epist I., quam scripsit omnibus Episcopis, relata *in can qui in qualibet.* 1. *quæst.* 7, ubi, qui in qualibet ætate, alibi, quàm in Ecclesiâ Catholicâ sunt baptizati, ad Ecclesiasticam militiam accedere non permittuntur: Innoc I. *in Ep.* 22. *cap*: 3. *ad Rufum, & alios Episcopos*, relata in *can ventum est* 1. *quæst.* 1., quâ prohibetur, ex venientibus ab Hæreticis, & ab illis baptizatis, aliquem in Clericatus honorem vel exiguum, subrogare.

Verum, ex neutro capite Irregularẽ esse, resolvendum videtur.

Non ex primo. Ut enim Giballinus de *Irreg. cap.* 5. *Prop* 3.

con-

confess. 3. *per totum* & Sayrus, *lib.* 6. *cap.* 10. *n.* 4. affirmant, & probant, ex eo, quod, quis nascitur ex hæretico, inferri, non potest Irregularem esse: tum quia, in allatis Canonibus, Filii Hæreticorum excluduntur tantum a Beneficijs, nullumque verbum ibi de sacris Ordinibus legitur: Tum quia colligi non potest hæc Irregularitas ex Infamiâ Juris, quâ filii ex paterno crimine asperguntur, cum ad eos non extendatur; *Sanch. dicto cap.* 28 *n.* 5. *Suar. de Censur. Disp.* 48 *sect* 3. *n.* 2. *Baldell. in Tract. de Fide, & Infidel. lib.* 1. *Disp.* 54. *n* 10. *Tom:* 2: *Card. Albit: de Inconst: in Fide cap.* 24: *n:* 84. *& seq.* Quotiescumque enim Parentes Hæretici, abjuratis Hæreseos erroribus, Fidei Catholicæ veritatem amplectuntur, & Ecclesiæ reconciliantur, eorum Filii nullam amplius ex hoc capite Irregularitatem patiuntur: hac differentia inter eos intercedente, quod Pater, licet reconciliatus, adhuc remanet Irregularis, donec ab Irregularitate dispensetur; Filius autem dispensatione non indiget. *Suar: loc: cit. Tolet: libr:* 1. *cap.* 68 *n.* 6. *Bonacc. de Irreg. dicto Punct.* 7. *n.* 9. *March. de Sacr. Ordinat: part.* 8. *cap.* 2. *n.* 9. *Card. Albit. dicto cap.* 24. *n.* 76. *Baldel. d: lib* 1. *Disp.* 13. *n.* 11.

Non ex secundo capite: nam cum in casu nostro non loquamur de Filio adulto, sed tantum de Baptizato ante usum rationis, habemus expressam declarationem *in can. placuit* 3: *& in can. qui apud* 4. *cap.* 1. *quæst.* 4. quibus apertè declaratur, quod Infantes baptizati ab Hæreticis, dummodo, cum ad ætatem rationis capacem pervenerint, agnitâ veritate, eorum errorum abhorreant falsitatem, Parentum errore impediri non debent, quominus sacri Altaris Ministri promoveantur. *Nullius enim crimen maculat nescientem: can: nullus* 1. *quæst.* 4. *cum nullus locus relinqueretur innocentiæ, si alienum crimen macularet nescientem*, D. Aug. *Epist.* 48. *ad Vincentium relata in can: quis locus cap.* 1. *quæst.* 4. *Suar: Disputat:* 42. *sect:* 1: Fusius Giball. allatis can. respondens, eosque concilians, *de Irreg. allato cap.* 5. *prop.* 1. *p.* 2. *per totam, & prop.* 2. *dub.* 1 *per totum.*

Quamobrem, cum Guillelmus Belfort origine Scotus, Londini natus ex Nobilibus Parentibus, qui abjuratâ hæresi, quâ erant infecti, Catholicam Religionem amplexi fuerunt, tempore, quo ille erat in ætate duorum annorum, & Baptismum susceperat ab Administro Ecclesiæ Anglicanæ, debuisset

pro-

provisus de quodam Archipręsbyteratu ad sacros Ordines ascendere, fuit dubitatum, an tamquam natus ex Parentibus Hæreticis, & a Ministro Hæretico baptizatus, esset Irregularis? Et propositis, inter alia, his duobus dubijs, in Sacrâ Congregatione Concilij,

Primum; An Orator Irregularis sit, ex quo Baptismum ab Hęretico suscepit?

Secundum; An Irregularis sit, ex quo, ex Parentibus Hæreticis natus est? Et quatenus affirmativè,

Tertium; An ei sit indulgenda dispensatio? Eadem Sacra Congregatio sub die 21. Maij 1718. Respondit,

Ad primum, & secundum, *Negativè*: ad tertium, *Satis provisum*.

Decretum Sacræ Congregationis Concilij, An homines parvæ staturæ debeant ad Ordines promoveri?

XV.

NUllum Irregularitatis impedimentum hujusmodi hominibus obstare, quo minus ad Ordines possint promoveri, multi ex Doctoribus inter se consentiunt: *Henriq. lib* 14 *cap* 8. *num*. 3. *Campanil. Divers Jur. Canon. Rubr.* 11. *cap*. 17. *num* 4. *Barbos. Alleg*. 42. *num*. 53. *Giball. de Irregul. cap*. 3. *quæst*. 2. *Consect*. 5. *vers. Tertio*, *Leand. Tom*. 5. *Tract*. 1. *disp*. 4. *q*. 47.

Comprobant horum sententiam exempla tot virorum, qui sanctitate, doctrinâ, & dignitate celebres in Ecclesiâ floruerunt: ex quibus satis erit seligere

Divum Paulum, nomine, & corpore parvum, qui testimonio D Joannis Chrysostomi *Tricubitalis* erat. *Hom in Encom. Apost.*

D. Hieronymum, & Gregoriū Episcopum Nazianzenum, qui staturæ quidē pusillæ, sed excellæ mentis fuerunt, *apud Pignat. Consult. Novissim. Consult*. 96. §. *de his quis sunt parv. Corpor.*

Divum Gregorium Episcopū Turonensem, cujus cum exiguā corporis staturam, tum verò excellentem Sanctitatem, atque doctrinam Sanctus Pontifex Gregorius Magnus, est admiratus. *Campan. d. Rubr*. 11. *cap*. 17. *n*. 4.

Divum Antoninum Archiepiscopum Florentinum, cui inditum à sacro Fonte, Antonij nomen pusillitas corporis sic

inde-

inflexit, ut Antoninus vocari, cœperit. *Raynaud. opusc. de Laud. Brevit. sect* 3. §. 4.

Petrũ Blesensem Ecclesiæ Canthuariensis Archidiaconũ, qui licet tantus esset, ut libertate spiritus in scribendo, teste Jo Card. Bona normã vivendi Ecclesiasticis præscripserit, tamen ob pusillam corporis staturã, Zacchęus alter dictus est *Rayn d. sect.* 3. § 4.

Contrariam tamen sententiam sequutur alij, scribuntque hujusmodi homines, tamquam Irregulares, à sacris Ordinibus arcendos. *Majol. de irregul. lib.* 1. *cap.* 24. *n.* 8 *Theat. Cas. Conscient. lib.* 6. *cap.* 8 *n.* 3.

Et quamquam inter corporis vitia, nusquam hoc parvæ staturæ habeatur in sacris Canonibus expressum, eam tamen ad deformitatem referunt, & sententiam suam, adducto Pygmæorum exemplo, confirmant.

Et merito quidem videntur Pygmęi a sacris Ordinibus removendi: Adeo enim exigui corporis esse perhibentur, ut idem *Pygmæi* sonent, ac cubitales. *D. August. de Civit. Dei lib.* 16. *cap.* 8.: sumpto nomine à verbo Græco, *Pygon*, quod est, *cubitus*. *Cæl. Rhodig. Antiq. lect. cap.* 3. *Ludovic. Vives in D. Aug. d. lib.* 16. *cap.* 8.

Immo *Spithamæos lib.* 7. *cap.* 2. *Natur. Histor.* appellat Plinius, sumpto similiter nomine, a verbo Græco *Spithami*, quod idem est, ac palmus, seu mensura, quæ, manu a pollice ad minimũ digitum extentâ, continetur: *Nicol. du Mortier Etymol. Sac Græc. latin. sub litera T.*, vel, ut clarius loquamur cum eruditissimo Benedicto Averanio, *in Antholog. Disser.* 60. *n.* 6. mensura est, quæ non excedit duodecim digitos. Pygmęi enim, teste eodem Plinio, ternas spithamas longitutine non excedunt: ut & bellum exercere cum Gruibus, sibique casas, luto, pennisque, & ovorum putaminibus, construere perhibeantur, *dicto cap.* 2.

Aristoteles vero, ex eo, quod in Cavernis degunt, *Troglodytas* vocat: *lib.* 8. *cap.* 112. *de Histor. Animal.* ubi postquam Grues, e Scythicis campis, ad Paludes Ægypto superiores, unde Nilus profluit, venire, & cum Pygmæis pugnare, narravit, subdit: *Non enim fabula est, sed certè genus, tum hominum, tum etiam equorum pusillum, (ut dicitur) est, deguntque in Cavernis, unde nomen Troglodytas, a subeundis cavernis, accepere:* sumpto pariter nomine à Græcis verbis, *Troglas*, quod est *foramina, et Dyo*, quod

quod est, *subeo*. *Nicol. du Mortier sub eadem lit. T. Turneb. Adverf. lib.* 24. *cap.* 42. *n.* 20.

Denique tam pusilli apud Authores non inferioris notæ memorantur, ut Juvenalis eorum bella cum Gruibus describens, ita luserit, *Satyr.* 13 *vers.* 174.

. . . . . . *Tota cohors pede non est altior uno.*

Et Aul. Gell. noct. Attic. lib. 9 *cap.* 4. scripserit, Pygmeorum, *qui longissimi sunt, non longiores esse, quam pedes duos, & quadrantem:* alijs vero apud *Cornelium a Lapid. in Ezechiel. cap.* 27. *v.* 11. Perdicibus inequitare.

At verò non ponitur de hujusmodi homuncionibus quæstio. Etenim authores quoque primæ sententiæ concurrunt, imo, uno ore, consentiunt omnes, eos, si tamen reperiuntur, nullo modo esse ad Ordines promovendos: si, inquam, reperiuntur. Nihil enim aliud esse Pygmæos volunt, quam poeticum Homeri figmentum, *Iliad.* 3. a quo Aristoteles, Plinius, & reliqui omnes ea, quæ de Pygmæis scribunt, sint mutuati: quemadmodum fabulosa esse demonstrat, *Cornelius a Lapide in alleg. cap.* 27. *v.* 11. *Gaspar in eod. cap. v* 11. Cum quibus conveniunt, *Albert. Magn. de Animal. lib.* 21. *cap.* 2. *Aldovr. lib.* 20. *cap.* 5. *Raynald. sect.* 3. § 3. *Nicol. du Murtier in verbo Pygmæi*; Neque usquam alibi, quæ de illis dicuntur, quam in cerebro, & scriptis poëtarum, sedem habere credit *Laud. Calmet in Dict. Sac. Script in eodem verbo Pygmæi*.

Neque verò rem asseverat, sed tantummodo refert Divus Augustinus, quem fabellæ hujus faciunt Assertorem: Imò, cum quærat *in lib.* 16. *de Civit. Dei*, an Pygmæi, & alii similes homines monstruosi ab Adam prodierint? sic quæsitum resolvit: *Aut illa, quæ talia de quibusdam Gentibus scripta sunt, omnino nulla sunt, aut si sunt, homines non sunt, aut ex Adam sunt, si homines sunt.*

Quamobrem idem meritò sentit noster numquam satis laudatus Benedictus Averanius, *Dissert.* 2. *in Thucid n* 9. ubi, *Indiam*, inquit, *Alexandri Magni victoriæ aperuerunt, quæ nisi antea fuisset ignota, non tanta fabulandi licentia fuisset concessa Megasthene, & Nearco Alexandri comitibus. neque homines oris, & naris expertes, & in aurem dormientes, neque Monoculos, neque Panas cuneato capite, neque Gruum, & Pygmæorum prælia, neque alia monstra Veteres credidissent.* N Minus

Minus relevat, quod *in cap.* 27. *Ezechiel. v.* 11. nominentur Pygmæi: Neque enim ibi ea vox, ut explicat Cardinalis Hugo, pro proprio alicujus Gentis nomine sumitur, sed pro appellativo. Pygmæi enim bellatores interpretantur, seu certatores, & in hoc sensu sumunt Hieronymus, & alii, ad evertendum fundamentum, quod inde jaci potuisset ad demonstrandum, quod Pygmæi reperiantur, ut *apud Cornel a Lapid. Gaspar. Sanct. Tyrin. & alios in dict. cap.* 27. *Martin. del Rio, Disquis. Magicar. libr.* 2. *quæst.* 15.

Quibus positis, inanis quæstio videtur, hoc quærere de Pygmæis, quorum exempla ne allegari quidē merentur. Etsi enim reperirentur, eos tamen Martinus del Rio *alleg. cap.* 15. non esse veros homines, sed Bruta, vel monstra, & ad classem Simiarum referendos, arbitratur.

Tota igitur propositi articuli decisio eo reducitur, ut, si tanta erit corporis pusillitas, ut circa usum Ordinum pariat impedimentum, aut scandalum, & admirationem, ac risum excitet, Irregulares hujusmodi homunciones esse, dicendi sint. Hæc est communis Doctorum sententia, quoad Nanos tenenda, ad quos multa, quæ de Pygmæis scribuntur, referri possunt, & de quibus loquuntur, *Laym. lib.* 1. *Tract.* 5. *par.* 5. *cap.* 7 *n.* 1. *Phiring. in Decret. lib.* 1. *Tit.* 20. *de Corp. vitiat.*

Et in hoc convenientes Doctores, concludunt, quod ad Episcopum ordinantem spectat judicare, an hujusmodi homines, ob eorum deformitatem, sint ab Ordinibus repellendi, *Laym. Phiring. locis supra alleg.*, *Bonacc. lib.* 10. *de Censur. Tract.* 4. *de Irregul. cap.* 18 §. *deferimus*, *Graff. decis* 27. *num.* 64. *Giball d. Consect.* 5. *vers.* 4. *Anacl. in primo Decret. lib.* 1. *Tract.* 10. *n.* 20. *& seq. Schmier Jur. Canon. lib.* 1. *Tract.* 4. *cap.* 6. *sect.* 3. § 4. *num.* 288. *Xchimier in Jus Canon. lib.* 1. *Tract.* 1. *Tit.* 10. *de corpor. vitiat. quæst.* 20. *Artic.* 2. *num.* 2443. *Jacob Wiestler Instit. Canon. lib.* 1. *Tract.* 20. *de Corpor. Vitiat. n.* 12.

Quamobrem, cum in Mexico discordes essent Theologi, An Baccalaureus Ferdinandus Lorente, in minoribus Ordinibus constitutus, qui staturam palmorum quinque, ac duorum tertiorum alterius palmi Cannæ Romanæ non excedebat, posset ad sacros Ordines, ob staturæ defectum, promoveri, sub die 2. Octobris 1717. supplicavit Sacræ Congregationi Con-

Concilii pro dispensatione: & eadem remisit ad Ordinarium Instantiam, ut procederet, prout de Jure.

Verum, fortiter sustinente Promotore Fiscali, prædictum Patrem Ferdinandum esse, ob supradictum impedimentum, Irregularem, ac proinde, renuente Archiepiscopo Mexicano illum ordinare, novum recursum habuit ad Sacram Congregationem: ac proposito articulo„ *an precibus esset annuendum*? Sacra Congregatio, cum incongruum videretur, ab eâ, quæ dictum Patrem non viderat, nec sub oculis recensitas circumstantias habebat, Judicium retractari Archiepiscopi eum ordinare denegantis, sub 12. Julij 1721.

Respondit „ *Arbitrio Archiepiscopi*.

Decretum Sacræ Congregationis Concilij. An, qui Bonis cessit, debeat ad Sacros Ordines promoveri?

XVI.

CEssio bonorum, quam flebile adjutorium, *in L.* 4. miserabile auxilium, in *L. ultimâ*, *C. qui Bon. ced. poss.* Imperator Justinianus appellat, est beneficium Debitoribus, pro evitandis carceribus, alijsque incommodis, quibus ab eorum Creditoribus afficiebantur, concessum. *Brun. de Cess. Bonor. quæst.* 6. *Princip. Giballin. de Negotiat. Tom.* 2. *libro* 5. *cap.* 4. *Art.* 2. *n.* 1. *Menoch. de Arbitr. Judic. lib.* 2. *Cent.* 2. *Cas.* 183. *n.* 1.

Abrogatâ enim lege XII. Tabularum, inter alias relatâ apud *Joan. Rosin Antiq. Roman. lib.* 8. *cap.* 12. *sub n.* 30., & apud *Oldendorp. Tit.* 8. *de re judic.* quâ Creditoribus, tantâ immanitate, sævire in Debitores, qui solvendo non essent, permittebatur, ut compedibus quindecim pondo vinctos, sexaginta dies, habere, &, nisi intra trinundinum de solvendo quoquo modo debito pacti essent, tertijs nundinis, aut trans Tiberim peregre venumdare, quô debitam sibi ex pretio pecuniam consequerentur, aut securi percutere, & capite plectere, aut etiam, si plures forent, quibus Reus esset judicatus, secare, si vellent, atque partiri corpus addicti sibi Hominis possent: (Quam immanitatem Favorinus Philosophus, quem A. Gellius *Noc. At. lib.* 20. *cap.* 1. cum Sex. Cæcilio Jurisconsulto de legibus duodecim Tabularum disceptantem facit, detestatus, *Quid*, inquit,

N 2 *vide-*

videri potest efferatius? Quid ab Hominis ingenio diversius, quam quod membra, & artus inopis Debitoris brevissimo laniatu distrahebantur, sicut nunc bona venum distrabuntur?)

Abrogatis item alijs verberum, & reliquorum cruciatuum generibus, turpissimisque ignominię, & dedecoris notis, quibus Debitores inurebantur: quæ omnia sparsa apud Tullium, Suetonium, Livium, Plutarcum, & Quintilianum videre est, quæque, pleno, ac erudito calamo fuerunt recollecta à *Menoch. d. cas.* 183. *n.* 1. *& seq. Covar. resol lib.* 2. *cap.* 1. *n.* 1. *& seq. Tom.* 1. *Didac. de Ear. in addit. ad d. cap.* 1. *n.* 1. *& seq. Petr. Greg. Tolos. Syntag. Jur. Univ. lib.* 22. *cap.* 11. *per totum, Gonzal. in cap. Odoardus n.* 6. *& seq. de solut. Giball. d. cap.* 4. *Art.* 2. *n.* 1. *& seq.*

Ad eximendos a Carceribus Debitores, lata lex ab Julio Cæsare fuit, quâ cautum erat, ut qui, sine dolo suo malo, æri alieno satisfacere non posset, Bonis suis cedendo, liberaretur: quæ lex, quidquid afferant nonnulli, qui eam Petilio Consuli adscribunt, & legem Petiliam nominant, lex Julia de Bonor. cess. inscribitur, apud *Franc. Hotom. in leg. Roman. ad literar. Ord. accomod. Enumer. sub lit. I. & sub ead. lit. apud Prat. de legib. roman. & Joan Rosin. d. lib.* 8. *cap.* 19 & Legi Juliæ hoc beneficium cessionis Bonorum tribuunt Imperatores Diocletianus, & Maximianus, *in L.* 4 *C. qui Bon. ced. poss.* Et in Codice Theodosiano legitur inter alios *tit.* 20. *qui Bon. ex lege Juliâ ced. poss.*

Et quamquam Alexander Imperator post Julium Cæsarem XXV. beneficium legis Juliæ in favorem Debitorum extendens, quo non solum a squallore carcerum, verum ab omni etiam infamiæ notâ liberarentur, legem posuerit, *qua Debitores, qui Bonis cesserint, licet ex eâ causa Bona eorum venierint, infames non fierent, L. Debitores* 11. *C. ex quib. caus. infam eroget.*

Imperator quoque Justinianus, Bonorum cessionē, salvâ Debitorum estimatione, fieri posse, sanciverit, *L. ult. C qui Bon. ced. poss.* non tamen ob omni omnino notâ eorum nomen, & existimatio immunis remanet, & expurgata. Quod totum Tertull *in Apolog. cap.* 4. loquens de abrogata lege XII. Tabularum, paucis verbis restringit. *Crudelitas erasa est, & in pudoris notam capitis pœna conversa est, bonorum adhibitâ proscriptione.*

Nam

Nam cum Bona cedantur a Debitoribus vendenda, sub hastâ, pro solvendo Creditoribus pretio, responsum habemus Jurisconsulti Scævolæ *in L. primo gradu* 23. *ff. quæ in fraud. Cred.* quod, fama eorum læditur, quorum bona hoc modo venduntur. Hinc gravior illa Ciceronis querela in Oratione pro P. Quintio, *Cujus bona ex Edicto possidentur, hujus omnis fama, & estimatio cum bonis simul possidetur*. Et ipsemet Justinianus, non obstante L. Æliâ Sentiâ, Domino quantumlibet obærato, & non solvendo existente, servum cum libertate necessarium hæredem instituere permisit, ut sic, Creditoribus res hæreditarias servi nomine vendentibus, Dominus injuria non afficeretur, §. *licet autem Inst. tit. quib. ex caus. manum. licet*; nec non ex simili venditione ignominiam contrahi ipse idem declarat, *Novell.* 131. *Collect.* 9. *Tit.* 18. Ex quo Jacobus Cujacius, quem Doctorum Phœnicem vocat Jos. Scaliger *in Varon. de re rust.* sic prædictorum textuum antinomiam conciliat: quod scilicet à Cedente non infamia contrahatur, sed aliqua nota, quâ viventium pudor, & mortuorum existimatio apud bonos, & graves Viros oneratur.

Præterquā quod, etiamsi ex Juris dispositione liberarentur ab infamiâ Juris, ex dispositione certè Juris municipalis non liberantur ab infamiâ facti. Cum enim ex hac nimiâ pristinæ severitatis relaxatione, nimiâque eximendi se a molestijs Creditorum facilitate, multi supra vires debita contrahentes, non solum rem suam, sed etiam alienam, sumptibus plerumque inanibus, profunderent, cūq. ex aliâ parte, acerbitas ulciscendi maleficij, bene, atque cautè vivendi disciplina sit, ad alios deterrendos, quemadmodum animadvertunt Card. de Lugo *de Iust. & Iur. Tom. primo Disp* 21. *sec.* 2. *n* 40. Dian. *par.* 7. *Tract.* 8. *resol.* 21. legibus municipalibus hujus cessionis, diversimode, secundum diversitatem locorum, forma ignominiosa præscripta fuit.

Sicut enim Cessio bonorum a Jure Civili inducta, poterat jure municipali prohiberi, seu abrogari, *Piccbardus lib* 4. *Instit. tit de Action.* §. *cum eo n.* 39. sic poterant etiam ad fraudes Debitorum repellendas, ne tam facile ad hoc remedium confugerent, varij modi ignominiam penes Populum inferentes præscribi. *Matth. Brun. de Cess. Bonor. quæst.* 6. *Princip n.* 5. *et* 6.

Et

Et quidem præscriptos fuisse apud Hispanos testantur idem Piccard. *d.* §. *cum eo num.* 46. Castrop. *par.* 7. *de Iust. commut. Disp.* 1. *punct.* 17. §. 7. *n.* 1. Covar. *var. resol. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 1. Didac. de Far. *in Addit. ad eumdem d. cap.* 1.

Apud Gallos, ex Constitutione Ludovici XII. Guid. Pap. *decis.* 343. Giball. *de negot. lib.* 5. *cap.* 4. *Art.* 2. *n.* 12.

Apud Neapolitanos, Siculos, & Avenionenses Genu. *de script. priv. lib.* 3. *quæst.* 35.

Item Mediolani, Bergomi, Ferrariæ, & presertim Paduæ in Patriâ suâ hujusmodi cessionem, formâ ignominiosâ, fieri scribit idem Genu. *d. quæst.* 35. *n.* 8. *usque ad n.* 18.

Eodem modo fieri Romæ ex Constitutione 39. Pij IV. referunt Fagn. *in cap. Odoardus n.* 62. *&* 63. *de solut.* Constan. *ad stat. Urb. Tom.* 2. *Annot.* 50. *de Ceß. Bonor. Art.* 2. *n.* 103.

Ad extremum, hoc idem in multis Italiæ locis, ex consuetudine, vel municipali constitutione observari scribunt Brun. *d. quæst.* 6. *n.* 5. *&* 6. Savell. *resol.* 54. *n.* 25. fusius verò, luculenterque Covarr. *d. cap.* 1. Petr. Greg. Gonzal. Menoch. Giball. *locis superius citatis*.

Quibus positis, dubium oritur inter Doctores, an illi, qui cedunt Bonis, debeant ad sacros Ordines promoveri? Cumq; duplex sit cesśio bonorum, una cum infamiâ, quæ fit secundum diversarum regionum mores, alia verò sine Infamia, quę beneficio juris fit, *Petr. Greg. Tolos. d. lib.* 22. *cap.* 8. *num.* 3. sentiunt nonnulli, eos, qui cessionem ignominiosam faciunt, esse tamquam infames habitos à sacris Ordinibus arcendos. Nam etsi Irregularitas non incurratur, nisi eam in jure habeamus expressam, *Cap. itaque* 18. *de sent. excom. in* 6., nihilominus hanc ad Irregularitatem referunt, quæ oritur ex infamiâ, *Can. qui in aliquo Dist.* 51. *can. si quis hæretice* § *ecce* 1. *quæst.* 1. *can. Testes* 2. *quæst.* 7. *can infames* 6. *quæst.* 1. Et in hac sententia est Majol. *de Irregularit. lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 16. Et quamquam Majolo opponatur Diana, se tamen judicio legentiū remittit, & hoc illis definiendum relinquit *p.* 6. *Tract.* 8. *resol.* 22. *per totam*.

Verumtamen quidquid de eo sit, an Irregulares dici debeant, nec ne, quæritur, mutato articulo, an deceat, & expediat eos ad sacros Ordines promoveri? Et quidem videtur

non

non convenire. Nam, quomodocumque Cessio Bonorum fiat, negari non potest, quin apud bonos, & graves viros aliquâ dedecoris maculâ non inficiantur *Petr. Greg. d. lib. 22. cap. 11.* Quare, si infamiam Bonorum Cessio non irrogat, suggellat certe statum Cedentium, eorumque lędit existimationem, cum communiter tamquam homines dissipatores reputentur *Host. in cap. quidam n. 6. de renunciat. Fagnan. in cap. Odoardus n. 59.* nomenque, ac famam amittant, & tamquā digito ab alijs monstrentur. *Constant. d. Annot. 50. Art. 2. n. 103.*

Facile itaque eveniret hujusmodi Hominibus, vel quod de Lic. Crasso, *apud Valer. Max. lib. 6. cap. 9.* narratur, cujus bonis venditis a Creditoribus, quia solidum præstare non potuit, cum egenus ambularet, Dives, amarâ sugillatione, ab occurrentibus salutabatur: vel quod de Tirrhenis legitur, apud quos pueri eos, qui bonis cessissent, prosequuti, vacuum marsupium, ad eosdem deridendos, ostentabant *Petr. Greg. Tolos. d. lib. 22. cap. 11 n. 8.* Nimium verò dedeceret, si Sacerdotalis status in superlativo gradu hominum positus, *Petr. Blej. serm. in Synod. super v. 15. Psal. 48.* cujus dignitatem immensam, & infinitam vocat *S. Ephrem de Sacerd.* Angelicam, immò divinam dicit *Dyonis. de Cœlest. Hierarch. cap 3.* non dico hujusmodi subsannationibus, & convicijs, sed vel eorum soli periculo exponeretur.

Accedit ad hæc, primo, quod bonis omnibus Cedens, cum spoliatus, solas vestes quas secum defert, in cessione faciendâ, ex communi sententiâ apud *Petr. Greg. d. lib. 22. cap. 8. n. 4.* retinere debeat, in summa inopiâ sordescere cogitur, ac pro supplicio vitam habere, *L. quisque C. ad leg. Jul. Majest.*

Secundo, quod cessio Bonorum non liberat cedentem ab obligatione debita solvendi. Suspēditur enim, non extinguitur. *Navarr. cap. 17. n. 66. Covarr. d. cap. 1. n. 6. Filliuc. Tract. 32. cap 5. n. 153. Less. de just. punct. 17. §. 7. n. 4. Card. de Lug. de Iust. & Iur. Disp. 21. sect. 3. n. 40. Dian. Tom. 6. Tract. 5. resol. 20. Constant. d. Annot. 50. Art. 2. n. 142.* cum per eam neque naturalis, neque Civilis obligatio tollatur: alioquin Creditores potius, quam Debitores punirentur *Petr. Greg. Tolos. d. lib. 22. cap. 13. per totum. Giball. de negot lib. 5 cap. 4. art. 2. n 2.* ac proinde qui bonis cesserunt, semper remanent

Cre-

Creditoribus obligati, tenenturque, si umquam ad meliorem fortunam devenerint, ex Bonis supervenientibus illis satisfacere, *ad text. in L. 1. C. qui Bon ced. poss.* ex rescripto ejusdem Alexandri Imp. qui cęteroqui in favorem Cedentium, tam indulgenter, ut supra, rescripserat: Quare eo loco positi sunt, ut sine nomine, & sæpe sinè rebus, quas vivendi necessitas postulat, vitam miserê ducant. Nec prædictis vim sufficienter minueret, quod post factam cessionem, a pio Benefactore sufficiens Patrimonium sibi Cessor constitui, aut Beneficium conferri obtinuerit: posset enim super his a Creditoribus molestari, *ad text. in cap. pervenit 2. cap. constitutum 3. de Fidejuss.* & licet Clericis, *ad text. in cap. Odoardus de solut.* sit congrua reservanda, nihilominus, tam si aliquis ex creditoribus esset illo pauperior, quam si in ludo, & luxuriosè vivendo, bona consumpsisset, ad tradita per *Bellett. de Cleric. Debit* §. 2. *n.* 6: *Fagn. in d. cap. Odoardus n.* 3. *Antonell. de regim. Eccles. libr:* 5. *cap.* 13. *n.* 10. *vers* 1. *limitat.* 7. beneficio capitis *Odoardus*, (quod alias habet etiam limitationes), non juvaretur, & hoc multo magis valeret, si eum aliquid supra congruā acquisivisse, vel lucratum fuisse, a Creditoribus prætenderetur: ac proinde hominē molestijs, & contentionibus obnoxium, ad sacros Ordines promoveri non expediret, *ad tradita per Suar. de Censur. Disp ult. sec* 4. *n.* 44.

Quamobrem Sacr. Cong. Concil. super hac re, sub die 23. Junij 1725: interrogata, respondit, ut in sequentibus videre est.

Michael Græcus Terrę Silvi Diœcesis Atriensis, post completum Studiorum curriculum, à suo recepit Ordinario primā Tonsuram, & quatuor Ordines minores: cumque spatio novem annorum in eo statu permanserit, cupieritque ad sacros Ordines ascendere, & id obtinere non potuerit, propter defectū Beneficij, & Patrimonij, ad nuptias carnales convolavit, & Mercatorem agere cæpit. Sed adversantem sibi passus fortunā, post nonnulla contracta debita, ut se ab imminenti carceratione liberaret, cessit Bonis in Curiâ Laicali Neapolitanâ, anno 1721., & sic quæcumque sua bona Creditoribus dimisit. Anno 1722. Uxor Michaëlis mortua est, superstitibus duobus liberis. Cumq: prædictus Michael, prævio Decreto, & Episcopi permissione

Cle-

Clericalem habitum reassumpserit, & à quodam Pio Benefactore sufficientis Patrimonij Constitutionem reportaverit, ut ad ejus titulum ad Sacros Ordines ascendere posset, suas Episcopo exhibuit preces pro Sacrorum Ordinum collatione: & Episcopo excipiente, se dubitare, an ipse, propter infamiam ex cessione Bonorum resultantem, irregularis effectus esset, quædam ab eodẽ Michaele modestæ querelæ adversus Episcopi dubitationem Summo Pontifici, in supplici libello, expositæ fuerunt: proinde earum examen ad Sacram Congregationem pro voto remisit.

His Sacræ Congregationi expositis, & accedente maximè relatione Episcopi, quod cessio Bonorum absque ignominia facta fuerat; proposito Dubio,

An cessio Bonorum obstet Michaëli, quin ad Sacros Ordines promoveri possit in Casu &c.

Sacr. Congr. sub die 23. Junij Decrevit: *Non esse promovendũ.*

AD CAPUT XV.

De Sacramento Matrimonij.

Decretum Sacræ Congregationis Concilij. An ob adulterium Matrimonium dissolvatur?

XVII.

INstituti divinitus Matrimonij vinculum, cujus arctissimâ, & indivisibili inter Virum, & Uxorem conjunctione indivisibilis Christi sponsi cum Ecclesiâ sponsâ conjunctio significatur, indissolubile esse, Catholica sententia est, Fidelium omnium, non minus ore, quam corde recepta, quæ sine injuriâ veritatis controverti non potest. Hoc enim præcepit Christus Dominus in *Evang. Math. cap. 5. & cap. 19. Marci cap. 10. Lucæ cap. 16.* Hoc Romanis, & Corinthiis, atque adeò omnibus D. Paulus, Prædicator veritatis, & Doctor Gentium promulgavit ad *Rom. cap. 7. & ad Corinth. cap. 8.*

Habuit nihilominus hæc veritas plures, a quibus oppugnaretur, contumaces homines, ac refractarios, ex impuro scilicet eorum grege, qui ab Ecclesiâ discesserunt universâ,

O qui-

quique Catholicis Dogmatibus adversantur, Lutheranos præsertim, & Calvinistas, quorum perversum, & pravum animum, possis statim vel audito nomine deprehendere. Hos acriter invadunt, atque auctoritate, & ratione confutant, refellunt, evertunt, Cardin. Bellar. *Controv. Tom.* 3. *lib. unico de Matrim. cap.* 16. *per totum*, Card. de Lauræa *in* 4. *sent. Disp.* 16. *per totam*, *Tom* 3. Becan. *in Summ. Theolog. part.* 5. *Tract. de Matrim par.* 2. *cap.* 47. *quæst.* 3. *num.* 8 *& seq.* Sanch. *de Matrim. lib.* 10. *Disp.* 2. *per totam*, Ludovic. Habert *Sacr. facult. Paris. Doctor. Theolog. & Sac. Sorbonic. Theolog. Dogmat. Moral. Tom.* 8. *part.* 3. *Tract. de Sacr. Matrim. cap.* 2. §. 3.

Græci quoque, ex eorum genere hominum, qui quaterdecies ad Ecclesiæ corpus reversi, totidem vicibus ab eodem se præciderunt, ut ad Stanislaum Orecho scribit Cardinalis Hosius, in suis erroribus pertinaces, & obstinatiores, praxim retinent Matrimonij, propter adulteriū, dissolvendi, in quo casu ad alias nuptias evolare permittunt, seque a Catholicis separantes, cum supra memoratis Hæreticis uniuntur.

Ex verbis enim Christi in Evangelio *Matthæi cap.* 19. *vers.* 9: *Dico autem vobis, quod quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur, & qui dimissam duxerit, mæchatur*, malè per eos, & contra sensum Ecclesiæ Catholicæ intellectis, inferunt, posse ex causà fornicationis conjugem innocentem, ab altero conjuge adultero digredi, atque divertere, & illo adhuc vivente, aliud Matrimoniū contrahere.

Verum Servatoris nostri Doctrinæ adversari omnes, a quibus in hoc sensu ea Evangelij verba perverse intelliguntur luculentissimè Patres, tam Latini, quam Græci disseruerunt, quemadmodum, ijsdem disertè recensitis, demonstrant Card. Bellarm. *d. cap.* 16. Card. de Laurea *dicta disp.* 16. *art.* 7. *per totum*, Juvenin. *in Tract. de Sacr. Tom.* 2. *Dissert.* 10. *quæst.* 4. *cap.* 2. *art.* 3. §. 2. *per totum*, Ludovic. Habert. *d. cap.* 2. §. 6. *per totum*, Valent. *lib. unico de indissolub. Matrim. cap.* 3. *& seq.* Sanch. *d. cap.* 16. *per totum*, Perez *de Matrim. disp.* 55. *sect.* 3. *per totam*, Claud. de Croix *Theol. mor. lib.* 6. *par.* 3. *Dub.* 3. *n.* 403. Natal. Alexand. *Theolog. Dogm. & mor. Tom* 2. *lib* 2. *Tract. de Sacr. Matrim cap.* 4. *art.* 7. *Prop.* 2. *per totam*, Cornel. a Lapid. *in cap.* 19. *Math d. v.* 9. Sylvest. *Comment. in Text.*

Evang.

Evang. Tom. 6. additam. ad Matth. d. cap. 19. quæst. 8. num. 63. Modernus Fr. Carolus Francisc. à Breno *in suo Manual. Mission. Orient. Tom. 1. lib. 3. cap. 2. quæst. 6. per totam, & præsertim* Arcudius *de concord. Eccles. Orient., & Occident. lib. 7. per totũ;* ubi præ alijs Patres Græcos, adversus Græcos perperam ea verba intelligentes, adducit.

Ex eo enim responso, quod Matthæus *d. cap. 19* refert, dedisse Christum Pharisæis eum interrogantibus, *an liceret Homini dimittere uxorem suam quacumque ex causâ?* non infertur licitam esse novi cunjugij celebrationem, cum statim subjunxerit, *et qui dimissam duxerit, mæchatur:* neque enim mœcharetur, qui uxorem ex fornicatione dimissam duxisset, si solutum, ob fornicationem, Matrimonij vinculum fuisset, dimissâque priore uxore, ad Matrimonium cum aliâ transire Vir potuisset: sed inde tantummodo infertur, fuisse Viro a Christo Domino permissum, ab Uxore ob adulterium separari.

Licitè, inquit Augustinus *de Adulterin. Conjug. lib. 2. cap 4. relatus in can. licitè 32. q. 7. dimittitur conjux, ob causam fornicationis, sed manet vinculum prioris: propterquod fit reus adulterij, qui dimissam duxerit, etiam ob causam fornicationis.* Similiter D. Hieronymus scribit ad *Arman. Præsbyter. in can. omnes d. caus. 32. q. 7 Quamdiu vivit Vir, licet Adulter sit, licet Sodomita, licet flagitijs omnibus coopertus, et ob hęc scelera ab uxore derelictus, Maritus ejus reputatur, cui alterum virum accipere non licet.*

Ulterius hęc veritas ad evidentiam demonstratur. In Evangelio enim Marci *cap. 10.* ita refertur eadem Pharisæis à Christo data responsio, ut in eâ, absque ullâ restrictione respondisse Christus Dominus, licitum non esse uxorem dimittere, perhibeatur. Jam si responsio a Matthæo relata ita explicanda esset, ut licere ex causâ fornicationis Uxorem dimittere, diceretur; ne Romani, ad quos Evangelium a Matthęo, Hæbręorum rogatu, hebraicè scriptum minimè pervenerat, tam necessariâ hujusmodi facultatis notitiâ fraudarentur, Marcus, qui Romæ Evangelium suum Christianis a D. Petro ad fidem conversis conscripsit, nullo modo, hanc tanti momenti restrictionem, seu exceptionem, *nisi ob Fornicationem,* silentio præterisset, vel saltem Romanos ad Matthæi Evangelium remisisset: nec Petrus ipse, quod maximum est, hanc restrictionem prætermitti

mitti a Marco permisisset: quandoquidem ex testimonio Clementis Alexandrini, Eusebij, S. Athanasij, S. Epiphanij, Euthymij, *apud Cornel. a Lapide Comment. in Evang. Marc.* Marci Evangelium Petrus confirmavit, & Ecclesijs in perpetuum legendum tradidit: Imo, Petro narrante, & Marco scribente compositũ fuit. *D. Hieron. Epist.* 150. *ad Hedib. q.* 11.

Itaque in hoc sensu ab Ecclesiæ principio verba Matthæi intellecta, & communi Doctorum, ac Patrum consensu recepta fuisse, ut nimirum ex causà fornicationis, Thori separationem facere, non vero aliud Matrimonium contrahere licitum sit, plenè, ac erudite per omnia secula discurrens, non minus probat, quã evidenter demonstrat Card. Bellar. *loc. cit.*

Et licet inter Catholicos tantum a Cardinali Cajetano in *d. cap.* 19. *Math*, & ab Ambrosio Catharino *in Tract. de Matrim.* fuerit de hoc dubitatũ; nihilominus, cum ex una parte, illorũ uterque, disertis verbis, Ecclesiæ judicio se subjecerit, ex alterâ vero, a duobus Concilijs definitum fuerit, Matrimoniũ, juxta Evangelicã, & Apostolicã Doctrinã, propter Adulterium, non dissolvi; non videntur Cajetanus, & Catharinus a communissima reliquorum omnium Theologorum Catholicorum sententia separandi, ut observat *in dicto cap.* 16. Bellarminus.

In Concilio enim Florentino *sess.* 25. cum Summus Pontifex Eugenius IV. a Græcis, ad eorum expurgandos errores, convocatis quæsivisset inter alia, cur Matrimonia separarent, quandoquidem Dominus Noster præceperat, disjungendos non esse, quos ipse conjunxisset? cumque nullus Græcorum ei satisfecisset, iterum, Græcorum Præsulibus ad se convocatis, eos ab Ecclesia Romana mirum in modum accusari conquestus, quod Matrimonia separarent, tandem post eorum discessum, in Decreto pro instructione Armenorum, Anno Domini 1439. X. Kal. Decemb. declaravit; *Quod quamvis ex causa fornicationis liceret Thori separationem facere, non tamen aliud Matrimonium contrahere fas est, cum Matrimonij vinculum legitimè contracti perpetuum sit:*

Similiter Concil. Tridentinum *sess.* 24. *de Sacr. Matrim.* post definitam, in doctrinâ de Sacramento Matrimonij, perpetuam, & indissolubilem Matrimonij firmitatem, ipsâ Veritate docente *in ead. cap.* 19. *Matth. &* 10. *Marci*; *Quos Deus conjunxit, homo*

non

non separet, cupiens Schismaticorum hæreses, atque errores, ne plures ad se traheret perniciosa contagio, exterminare, inter alios hunc contra eos decrevit Anathematismū in *Can 7. ejusd sess. 24. Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit, & docet, juxtà Evangelicam, & Apostolicam doctrinam, propter Adulterium alterius conjugum, Matrimonij vinculum non posse dissolvi, & utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere, mæcharique eum, qui dimissâ adulterâ, aliam duxerit, & eam, quæ dimisso adultero, alij nupserit, Anathema sit.*

Tandē in Instructione, quæ habetur in Constit. 34. Clementis IX. pro Episcopis Latinis, in quorū Diœcesibus Græci, vel Albanenses, Græco ritu viventes degunt, inter alia præcipitur; *Matrimonia, inter Conjuges Græcos, dirimi, seu divortia, quoad vinculum, fieri, nullo modo permittant, aut patiantur, & si quæ de facto processerint, nulla, & irrita declarent.*

Quamobrem, cum Gregorius d' Ascoli Græcus Catholicus, contracto Matrimonio in Civitate di Wibungo sita in Finnoniâ, quæ olim regnum fuit, & nunc est pars regni Suecij, militem agens, captivus factus fuerit ab hostibus, & post reditum a captivitate; tres filios ab ejus uxore, eodem absente, progenitos, repererit, eam in judicium vocavit: post confessionem triplicati adulterij ab eàdem uxore facti, obtinuit sententiam dissolutionis Matrimonij, nec non libertatis, juxta Græcorum praxim in illis partibus, ad alias nuptias transeundi: cumque vellet cum aliâ fæminà Matrimonium contrahere, Pater Apollinaris Capuccinus Missionarius in Moscoviâ, & in Civitate Petresburgo tunc degens, ab eo inducias obtinuit, pro exquirendo Apostolicæ Sedis judicio. Re delatâ ad Sacram Congregationē de propagandâ Fide, factâque ab eâ remissione ad Sacram Congregationem Concilij, quæsitum fuit, quid esset statuendum?

Et proposito Articulo sub die 15. Januarij 1724. *quid sit in exposito casu respondendum?*

Sacra Congregatio sub die 29. ejusdem Mensis, reproposito Articulo, respondit.

Scribatur, *Oratorem non posse aliud Matrimonium contrahere.*

Decla-

Declarationes Sacræ Congregationis Concilij, super Articulo, quo quæritur, quis dicatur proprius Parochus, ad validitatem Matrimonij?

XVIII.

AD validitatem Sacramenti Matrimonij, ex determinatione Sacri Concilij Tridentini in *cap.* 1 *sess.* 24. *de reformat. Matrim.* adeò necessaria Parochi præsentia est, ut nonnulli ex Doctoribus, Parochum ejusdem Sacramenti ministrum esse, sint opinati. Hanc opinionem scribit Cardinalis Bellarminus *Tom.* 3. *Controv. lib. unic. de Matrim. Sac cap.* 6. Authorem habere Melchiorem Canum, Episcopum Canariensem, ex Ordine Prædicatorum, inter Theologos, qui Concilio Tridentino interfuerunt, maximæ, clarissimeque famæ, ex testimonio Benedicti Pereiri *Lib.* 12. *Comment. in Daniel cap.* 7. qui Canus in sensu est, Matrimonium, quotiescumque a Ministro Ecclesiastico sacris, & solemnibus verbis non celebratur, ratum, ac firmum esse titulo Contractus, non vero titulo Sacramenti, ac proinde ejus, uti Contractus civilis, ministros esse Contrahentes; tamquam vero Sacramenti, ministrum esse Sacerdotem *Lib.* 8. *de loc Theolog. cap.* 5. Quam sententiam Patronos suos, etiam ante Canum, habuisse, nempe Guilelmum Parisiensem, Petrum Paludanum, & Synodum Coloniensem Anno 1536. celebratam, indicatur in vindicationibus ad eumdem Canum, præmissis in ejus operibus novissime Patavij anno 1720. impressis, quibus, nonnullorum in ejus libros de locis Theologicis accusationes, refelluntur, ad eum vindicandum a sugillatione Cardinalis Bellarmini, hanc Cani opinionem tamquam novam, & singularẽ reprehendentis. Quæ tamen objecta, multo ante quam fierent, Bellarminus ipse præverterat *cit. lib.* 1. *cap.* 8. *vers. secundo objicitur, & seqq* Opinionem vero Cani, cui multum confert Authoris nomen, quod apud Doctores non vulgarem obtinet locum, sequuntur *Guilelmus Estius in* 4. *sent. dist.* 26 *num.* 10. *& seq Francisc. Sylv. in supplem. quæst.* 42. *art.* 1. *quæsito* 1. *Vincentius Contenson. libr.* 11. *Theologiæ ment & Carden. part.* 4. *dict.* 4 *cap.* 1. *Natalis Alexander in Theolog. dogm. & mor. libr.* 2. *de Sacr. Matrim. Artic.* 5. §. 2.

nec

nec non magno apparatu rationum, & authoritatum exornat, & defendit *Gaspar Juveninus in Comment. Histor. & Dogmat. de Sacram. p. 2. Dissert. 12. de Sacr. Matrim. quaest. 3.* cum alijs, quos refert. Ludovicus tamen Habert, Sacrae Facultatis Parisiensis Doctor Theologus, post allata utriusque sententiae firmamenta, asserit opinionem, quae docet Contrahentes Ministros esse Sacramenti, apud Canonistas, & Theologos tam veteres, quam recentiores, valdè communem esse, neque, in quam ex his duabus sententijs ipse propendeat, declarans, ad judicium aliorum hoc definiendum remittit *Theolog. Dogmat. & Mor. Tom. 5. Tract. de Sacr. Matrim. cap. 4. per totum.*

Verum contrariam sententiam, ministros nempè hujus Sacramenti esse Contrahentes, & Parochi praesentiam esse solum ad ejus validitatem necessariam, ex determinatione Sacri Concilij Tridentini, mala, quae ex Matrimonijs clandestinis oriebantur, vitari omnino cupientis, veriorem esse, communiter in scholis, & apud Doctores, tam Morales, quam Canonistas receptum est. Secus enim dicendum esset, nulla fuisse Matrimonia, ante Concilium Tridentinum, sine praesentiâ Sacerdotis, & multò minùs proprij Parochi, & consequenter sine Ministro Ecclesiastico, celebrata; cum tamen idem Concilium Tridentinum *in dict. cap. 1. de Reform. Matrim.* Anathemate damnet illos, qui Matrimonia clandestina, antequam ab Ecclesiâ irritarentur, esse rata, & vera negarent: quemadmodum fuso, & docto calamo, Cani argumenta omnia refellens, validissimis rationibus, *in d. lib. unic. de Matrim. Sacr. per totum, cap. 6. cap. 7. & 8.* non solum probat, verum etiam demonstrat Cardinalis Bellarminus.

Haec fuit sententia *D. Thomae in 4. dist. 26. quaest. 2. art. 1. ad 1. & dist. 28. q. unic art. 3. & Scoti in 4. dist 26. q. unic.* Ita ut ipsemet Canus cogatur fateri communem esse Scholarum hanc sententiam, quam defendunt *Dominicus Soto in 4. sent. dist. 26. quaest. 2. art. 3. Sanch. de Matrim. lib. 2. disp. 6. per totam, Suar. Vasq. Henriq. Becan. Castrop. Dian. Bonac. Rebell. Hurtad.*, & alii apud *Leand. Tom. 2. Tract. 9. de Matrim. q. 10.* ubi hanc multo veriorem appellat, nec non *Card. de Laureà in 4. sent. Tom. 3. de Sacr. Matrim. disp. 13. art. 6. per totam.* in quâ eam vindicans ab objectis, errorem perniciosum esse

con-

contrarium asserere, ad satietatem ostendit. Sotus autem, Vasquez, & alii eam temeritatis incusant, apud *Ludovicum Habert, sup. d. cap.* 4., & apud *ipsum Juveninum dictâ quæst.* 3. ubi, sibi opponi nubem Scholasticorum fatetur; nec non improbabilem, nullamque probabilitatem habere, inquit, apud *Leand. d. quæst.* 10.

Jam, cum in utrâque ex illis sententijs, sine Parochi præsentiâ, Matrimonia nulla sint, & ad eorum validitatem requiratur necessario Parochus, qui proprius sit Contrahentium, multum interest, ad evitanda pericula nullitatis, quis talis dici possit, & æstimari, non ignorare. Cumque multi multa scribant, ut apud Scriptores videre est, præsertim apud Sanchez, placuit Nobis, ad majorẽ Parochorũ nostrorũ instructionem, transcribere, & hic sub eorum oculis ponere quamplures, tam antiquas, quàm recentiores Sac. Congregationis Concilii Declarationes, quæ EE. PP. relatæ per Secretarium fuerunt, ut tutum ferre possent judicium *in unâ Cæsenatensi Matrimonij*, sub die 20. Februarij 1723. in quâ quærebatur de Matrimonio, an sustineretur, nec ne? neque id constitui poterat, nisi declararetur, an Parochus, coram quo celebratum fuerat, proprius Contrahentium Parochus esset? Sunt autem, præter relatas apud Fagnanum *in cap. significavit a num.* 28. *ad* 36. *cum seq. de Parochis*, quæ sequuntur.

In *Romanâ nullitatis Matrimonij*, Sacra Congregatio Concilij censuit dandã esse declarationẽ in abstracto in formâ sequenti.

Cum Vir, & Mulier a loco suæ Habitationis, absque animo illam relinquendi, discedentes, & ad locum alterius Parochiæ solo animo illic Matrimonium celebrandi, non autem domicilium contrahendi, se transferentes, ibi coram Parocho illius loci Matrimonium inter se contraxerint; supplicatum fuit per Sacram Congregationem declarari.

An hujusmodi Matrimonium sit nullum, vel validum?

Et Sacra Congregatio sub die 22. Februarij 1631. secundum ea, quæ proponuntur, *Censuit. esse nullum.*

In *unâ Urbinatensi nullitatis Matrimonij*, Sacra Congregatio, inhærendo Declarationibus aliàs factis, sub die 1. Decembris 1640. respondit, *Parochum Ruralem non esse proprium, & verum Parochum, quando rus itur causâ recreationis, vel pro rusticа-*

sticanis negotijs: ideoque Matrimonium validè coram hujusmodi Parocho celebrari non posse. Partibus tamen dari Declarationes antiquas jussit, scilicet.

In *unâ Florentinâ*, Sac. Congreg. censuit, *quod Parochus Ruralis non est verus Parochus, quando Rus itur causâ recreationis, vel pro rusticanis negotijs*.

In *unâ Florentinâ* similiter, Sac. Congreg. respondit, *Parochum Ruralem non esse proprium Parochum, ideoque Matrimonium coram eo celebratum fuisse nullum*.

In *unâ Abulensi*, Sacr. Congreg. censuit, *non valere Matrimonium contractum coram Parocho Loci, ubi Contrahentes reperiuntur, non animo ibi Domicilium contrahendi*.

In *unâ Theatinâ Matrimonij*. Dominico Antonio Coradetto Civi Theatino, & Antoniæ de Civitate Pennarum, Incolis Theani Matrimonium contrahere desiderantibus, cum assensum denegaverit Archiepiscopus, eo quod Mulier debitas attestationes status liberi non exhibuerit, idcirco præfati Vir, & Mulier ad Terram Faræ Filiorum Petri nuncupatam, Abbati Montis Casini subjectam, se contulerunt, ibique per triduum commorati, Matrimonium celebrarunt coram Parocho Loci, prævià Fide duorum Civium Theatinorum super eorum statu, & illicò, nempè quartà die, Theanum redierunt.

Hujusmodi facti serie inter supplices libellos relatà in Congregatione habità die 17. Julij proximè præteriti, rescriptum fuit Archiepiscopo, ut congruum terminum prætensis Conjugibus assignaret, ad eorum Jura coram Ipso deducenda, istaque deinde, una cum animi sui sententià, referret, & interim dictos prætensos Conjuges separaret.

Decreto paruit Archiepiscopus. At asserti Conjuges in termino sibi præfixo nil aliud allegarunt, nisi eatenùs ad dictam Terram perrexisse, quatenùs fuit sibi significatum, majorem illic experturos fore facilitatem contrahendi Matrimonium, idcirco supplicatum fuit per EE. PP decerni,

An Matrimonium hujusmodi sit validum, vel potius nullum?

Et Sacr. Congreg. sub die 13. Novembris 1683. Respondit, *esse nullum*.

In *unâ Bovinensi Matrimonij*. Cum Marcus Atello natus in Civitate Bovini, post defunctam primã ejus Uxorem in Civitate

P San-

Sancti Severi, consuetudinem habere cæperit in Oppido Foggię Diœcesis Trojanæ cum Joannâ Sperâ muliere conjugatâ, quam in statu concubinatus retinuit spatio annorum septem, reversus postmodum ad Patriam unâ simul cum dictâ Joannâ, continuavit in eodem concubinatu per alios quindecim annos, venditans apud omnes, dictam Joannam esse sibi in Matrimonio junctam. Comperto autem per Decanum Curatum Cathedralis, nullum inter eos extare Matrimonium, injunctâque per Episcopum separatione, decreverunt inter se ad illud realiter devenire. At non habentes fidem obitus primi Viri præfatę Joannæ, ambo de Mense Octobris 1692. Foggiam se contulerunt, animo contrahendi inibi Matrimoniū, eoque sequuto, illicò repetendi Bovinum, ut coram Testibus fide dignis, & tota viciniâ declararunt. Sed postquàm commorati fuerant per paucos dies in dicto loco, simulata per Marcum mortali infirmitate, prævio examine trium Testium super statu libero utriusque, præmissis duabus tantum Denunciationibus, fuerunt de licentia Episcopi in Matrimonium copulati ab Archipræsbytero illius Loci.

Biduò post reversi ad Civitatem Bovini, exhibuerunt fidem hujusmodi Matrimonij, coram Decano Cathedralis, qui dubitans de illius validitate tamquam contracti in fraudem Parochi proprij Domicilij, recursum habuit ad Sacram Congregationem pro declaratione, datisque Literis ad Episcopos Trojanum, & Bovinen., cum eorum relationes inter se discordarent, asserente primo, dictos Conjuges Domicilium contraxisse in Terra Foggiæ per decennium, & ultra inibi habitando, & ulterius dictam Joannam nunquam alteri Viro junctam fuisse; Altero verò referente, illos habere Domicilium Bovini à quindecim annis, & ultra, & præsertim de tempore contracti Matrimonij, & insuper dictam Joannam in Virum habuisse Franciscum Rampam, de cujus obitu non constabat, necessarium fuit, ad eruendam veritatem, exquirere Informationem Episcopi Asculani in Apuliâ, qui, ex ore proprio ejusdem Joannæ, confirmavit in omnibus Relationem Episcopi Bovinen.. Ortâque, ex dictis relationibus, Poligamiæ dubitatione, Causa remissa fuit ad Sacram Congregationem Supremæ Inquisitionis, quæ postquàm, factis varijs diligentijs, compertum habuit, Virū

præ-

præfatæ Joannæ jam decessisse usquè de anno 1673. Causam denuò remisit ad Sacram Congregationem. Quare supplicatum fuit decerni.

An Matrimonium contractum inter Marcum, & Joannam in casu de quo agitur, sustineatur.

Et Sacr. Congreg sub die 28. Septembris 1697. Respondit *Negativè, & ad mentem, quæ est, ut insinuetur Episcopo, ut curet renovari Matrimonium coram proprio Parocho.*

AD CAPUT XXI.

De Funeribus, & Exequijs.

Constitutio Bonifacij VIII., & Clementis V. quâ prohibetur Religiosis, & Clericis, ne ad pactum de eligendâ apud eos Sepultura Fideles inducant.

XIX.

Rationi, & naturæ valdè consonum est, Primo, ut Electio Sepulturæ libera hominibus relinquatur. *Naturaliter enim*, inquit Juris Consultus, *videtur ad Mortuum pertinere locus, in quem infertur, præsertim si in eum locū inferatur, in quem ipse destinavit. L. scriptus heres* 4. *ff. de relig. & sumpt. fun.* non tantum, quia ultima voluntas Defuncti, omnibus modis, est conservanda, *Can. ultima* 13. *q.* 2., nilque magis hominibus debitum est, quam ut suprema eorum elogia religiosè adimpleantur, *L.* 1. *C. de Sacr. Eccl.*, *L. vel negare* 1. *ff. quemad. Testam. aper.* verum etiā, quia valdè ęquum est, eos ibi sepeliri, ubi majori devotione, ac sanctâ dilectione ad eligendum sibi sepulcrum, dum in vivis erant, moti fuerunt, *Amost. Tom.* 2. *de Caus. Pijs lib.* 6. *cap.* 9. *n.* 2. Sic Constantinus Imperator, in Basilicâ SS. Apostolorum, quam ædificaverat, sibi Sepulcrum elegit, quòd speraret, se precationum, quæ ibi essent ad SS. Apostolorum gloriam offerendæ, participem effici, ut scribit Eusebius *in ejus vitâ lib.* 4. *cap.* 60. Similiter Patriarcha Joseph Fratres rogavit, ut post ejus mortem, dum discederent ex Ægypto, ejus secum ossa adsportarent, quia, sicut observant Cornelius a Lapide, & Tyrinus, volebat in Terrâ Sanctâ sepeliri, *Genes. cap.* 50.

Secundo, ut, si non electâ Sepulturâ decesserint, in Sepulcro Majorum suorum sepeliantur, quemadmodum, considerans veterum Patrum instituta, & Patriarcharum exempla, statuit Leo III. *in cap. nos instituta de Sepult. in 6.* Nota siquidē est Patriarchæ Jacob solicitudo, quâ, cernens appropinquare diem mortis suæ, adjuravit Joseph Filium suum, ut, si invenisset gratiam in conspectu ejus, faceret illi misericordiam, ne sepeliret in Ægypto, sed conderet in Sepulcro Majorum suorum. *Genes. cap.* 47. *vers.* 19. *et seq.* Necnon cuique compertum est, quantum ex animo Tobias commendavit filio suo, ut, cum Mater ejus tempus suum implevisset, eam juxta se in uno sepeliret Sepulcro *Tob. cap.* 4. *can. Ebron* 13. *q.* 2. Et ideo Innocentius III. redarguit eos, qui, relictis majorū Sepulcris, contra Patrum veteris Testamenti consuetudinem, ad nova transferuntur Sepulcra, *Cap. Fraternitatem de Sepulturis.* Ex quo, uno Doctorum consensu, communiter receptum est, ut Defuncti, si, dum viverent, Sepulcrum non elegerunt, cum Majoribus suis sepeliantur, *Fagnan. in dicto cap. Fraternitatem n.* 12. *ibique Gonzal. propè finem ver. quibus plene cit. lib.* 6. *cum alijs, quos refert cap.* 8. *n.* 26. Quapropter, ad hanc libertatem omni jure fidelibus debitam protegendam, & conservandam, ne speciosa fraude, sub pretextu pietatis, ac devotionis, a Religiosis, & Clericis, ad Sepulturam in eorum Ecclesijs eligendam, inducantur, & ad Animarum periculis, & scandalis, quæ ex hoc frequenter oriuntur, obviandum; Bonifacius Octavus, universis Religiosis, & Clericis, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione maledictionis ęternæ, hoc districtissime prohibuit Constitutione, *in cap. Animarum de Sepult. in* 6. quæ sequitur.

Bonifacius Octavus Anno 1298. *Romæ.*

ANimarum periculis, & scandalis, quæ frequenter ex his proveniunt, obviare volentes, universis Religiosis, & sæcularibus Clericis, cujuscumque status, vel conditionis existant, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub interminatione maledictionis æternæ, districtissime prohibemus, ne aliquos ad vovendum, jurandū, vel fide interposita, seu alias, promittendum

dum inducant; ut, apud eorum Ecclesias, Sepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent. Nos enim (si secus actum fuerit) electionem talem decernimus nullius penitus existere firmitatis. Statuentes, ut hi, qui sic elegerint, nec apud sic electas Ecclesias ullatenus sepeliri, nec alibi (ne contra votum, juramentum, aut promissum hujusmodi à se factum, materiam habeant veniendi) possint eligere Sepulturam: sed, contradictione quacumque cessante, sepeliantur omninò apud illas Ecclesias, apud quas sepeliendi de jure fuissent, si aliàs, sepultura non electa, forsitan decessissent. Si vero iidem Religiosi, vel Clerici, prædictos, in suis Ecclesijs, vel Cœmeterijs præsumpserint sepelire, ad restitutionem tam sepultorum corporum (si petantur) quàm etiam omnium, quæ occasione Sepulturæ illorum pervenerint quomodolibet ad eosdem, infra decennium integraliter faciendam, ipsos obligatos esse censemus. Quam nisi fecerint, Ecclesiæ ipsæ, apud quas sepulti fuerint, nec non & Cœmeteria earumdem, extunc, eo ipso, sint, & tamdiu maneant Ecclesiastico supposita Interdicto, donec ab eis facta fuerit restitutio plenaria omnium prædictorum.

Quam Bonifacij VIII. Constitutionem Clemens V. *in cap. Cupientes §. sanè clement. de Pœnis*, non solum confirmat, verum etiam temerarios illius Violatores pœnam excommunicationis Sedi Apostolicæ reservatam ipso facto incurrere decrevit, ut in sequenti.

Clemens V. Anno 1312.

CUpientes eos, quos, ad observantiam jurium, virtutum premia non inducunt &c.

Sanè temerarios Violatores Constitutionis illius, quę Religiosis, & Clericis Secularibus prohibet, ne aliquos ad vovendum, jurandum, vel, fide interposita, seu aliàs, promittendum inducant, ut Sepulturam apud eorum Ecclesias eligant, vel jam electam ulterius non immutent: similem sententiam (pœnâ in dictâ Constitutione contentâ in suo perdurante robore) incurrere volumus, ab alio, quam à Sede Apostolicâ, (præterquam in mortis articulo) nullatenus absolvendos; nullis

privi-

privilegijs, aut statutis, cujusque tenoris existant, super his valituris.

De utrâque hac Constitutione, quæ utinam in suo robore, debitâque observantiâ permaneat, multi ex veteribus Doctoribus tractant, quos referunt. Samuel *de Sepult. tract.* 1. *Disp.* 2. *Controver.* 8. *per totam*. Lavor. *de Indulg. part.* 2 *cap.* 21. *n.* 25. quibus addi possunt Suar. *de Censur. Disp.* 22 *sect.* 4 *num* 24. Pasqualig. *ad Laurent. de Controv. Episc. & Regul. par.* 2. *q.* 63. *per totam*. Filiucc. *quæst. Mortal. Tract.* 15. *cap.* 7. *num.* 170. Bonacc. *de Excom. in Particul. Disp.* 2. *quæst.* 5. *Punct.* 4. *per totum*. Donat. *Prax. Rer. Regul. Tom.* 3. *Tract.* 9. *quæst.* 27. 28. *&* 29. Passerin. *Tom.* 2. *de statib. quæst.* 187. *art.* 4. *Inspect.* 4. *cap.* 9. *num.* 417. Amosta. *de Caus. Pijs cit lib.* 6. *cap.* 9 *n.* 20. *& seq.* Plenè Lothar. *Theolog. Moral. Regul. Tom.* 3. *lib* 2. *cap.* 3. *sect.* 4. *num.* 14. *& seq.* Et ex Canonistis. Barbos. *cap Animarum, & cap. Cupientes*, & penes eum fere omnes antiquiores Sacrorum Canonum Interpretes, Vivian. *Ration. Jur. Pontif. libr.* 3. *tit.* 28. *de Sepult. ad Caput Animarum in* 6. Lancell. *Instit. Jur. Canon. lib.* 2. *Tit.* 24. *de Sepult.* §. 8. *&* 9. Canis. *lib.* 3. *tit.* 12. §. 4. Gasp. Tiegl. *Instit Jur. Canon. lib.* 2 *tit.* 24. §. 7. Engel *in Decretal. libr.* 3. *tit.* 28. *quæst.* 11. *num.* 14. Henr. Wagnar: *Comm. Sacr. Can. lib* 3. *Tit.* 28. *de Sepulturis ad dict. cap. Animarum in* 6. Wencesch Steig. *Medul. J. Canon. in verbo Sepultura vers.* 1. *prohibetur*. Krim. *in Decret. libr.* 3. *quæst.* 28. *de Sepult. Art.* 1. §. 1. *n.* 2386 Tandē, tot alijs omissis, Ventrig. *Prax. Rer. notabil. Tom.* 1. *Annot.* 52. § *unic. num* 35. *& seq.* Matthæucc. *Official. Cur. Eccles. cap* 48. *n.* 29. *&* 30.

Verum, etsi tot ex Veteribus, & Recentioribus, de utrâque Constitutione, & de pœnis in ejsdem contentis, ita loquantur, ut earum allegari ignorantia difficilè possit, attamen Modernus in Curià Romanâ celebris Advocatus, scribens in *unâ Comen.* coram Sacrâ Congregatione Episcoporum, & Regularium, hanc excommunicationē, contra hæc attentantes fulminatam, parum attendi dolet *Discept. Ecclesiast. Tom.* 2. *par.* 2. *Discep.* 30. *num.* 54. *&c.*

Quamobrem, ne hoc in Nostrâ Diœcesi, quemadmodum speramus, contingat, ad excludendum ignorantiæ refugium, quo tueri se posse credunt, qui nolunt intelligere, ut bene agant,

agant, opportunè consultum credidimus, si utramque Apostolicam Constitutionem, in Additionibus ad hanc Nostrā tertiā Synodum, sub titulo de Funeribus, & Exequijs, apposuissemus.

AD CAPUT XXVI.

De Clericorum Interventu in Choro.

Declarationes Sacr. Congreg. Concilij, circa Habitum, quo interesse debent in Choro Sacerdotes, et Clerici, dum Missa, & alia Divina Officia celebrantur.

XX.

CUm Missæ in Ecclesijs canuntur, nempe, cum Augustum illud, & Sacrosantum Sacrificium, quo nihil majus, nihil divinius tractari a Fidelibus potest, offertur, cum, inquā, vivifica illa Hostia, quâ Deo Patri reconciliati sumus, per Sacerdotes, immolatur, tunc Sacerdotes ipsos, &, eorum exemplo, Clericos, quo Habitu versantur in Foro, eodem interesse, sine ullo discrimine, in Choro, quantum a vera pietate, quantumque a debito cultu Religionis abhorreat, explicari dicendo, exprimique vix potest. Ut enim D. Joannis Chrysostomi verbis utamur, *de Sacerd. lib. 6.* quantum dedecus est, quanta turpitudo, quanta labes, si, quo tempore, *Angeli Sacerdoti assident, & cœlestium Potestatum universus Ordo clamores excitat, & locus Altari vicinus, in illius honorem, qui immolatur, Angelicis Choris plenus est*, sique, ubi (pergit idem D. Joannes Chrysostomus loco citato) *multitudo Angelorum fulgentissimis vestibus indutorum Altari ipsi circumstant* (quemadmodum, per venerabilem Senem dignum a Deo habitum tali spectaculo, visa fuit) eodem & tempore, & loco, Sacerdotes, qui debent alios Pietatē docere *D. Greg. Nyssen. Orat. in Bapt. Christi*. Rocchettum, aliaque indumenta Ecclesiastica exuti, assistere in Choro non vereantur! Denunciat Scriptura, *Adorent eum omnes Angeli ejus, ad Hebræos cap. 1.* Clamat Propheta David, *Adorent eum omnes Reges Terræ, omnes Gentes serviant ei Psal. 71.* Et Sacerdotes, quos Angelicos vocat homines *D. Aug. serm. 3. ad Fratr. in Eremo*, Ecclesiarum Magistros appellat

S. Pro-

S. Prosp lib. 2. *de vit. comtemplat. Sacerd. cap.* 2. tantę irreverentiæ, dum Divinis Officijs assistunt, Populis exempla dare, non erubescent?

Divo Carolo quidem intoleranda hujusce rei indignitas visa est: quare, ad hunc abusum eliminandum, ille numquam satis pro merito laudatus Ecclesiasticæ Disciplinæ Restaurator, *in Concil. Mediolanensi primo part.* 2. *Comment. de Rat. Divin. Offic. in Concil.* 4. *part.* 1. *de Cleric. ad Fest. dies &c. et part.* 2. *quæ pertinent. ad Sacrific. Missæ.* omnibus Sacerdotibus, & Clericis, sine Superpelliceo decenter mundo, Divinis Officijs interesse prohibuit: quod postmodũ in Conc. Toletano celebrato sub Anno 1590. *part.* 1. *cap.* 4. & in Conc. Colonien. Secundo & passim in alijs, præsertim in Synodo Pisanâ convocatâ de Anno 1619. legitur graviter interdictum.

Quorum quidem exemplo, debitoque Pastoralis vigilantiæ compulsi, Nos quoque, ne hoc vitium, licet infrequens in Nostrâ Diœcesi, dissimulatum tamen in dies fortasse progrederetur, & in abusum abiret, in secundâ Nostra Pisanâ Synodo Anno Domini 1717. *cap.* 11 sub gravi pœnâ, Divinis Officijs, eoque magis Missę Sacrificio, absque Rocchetto, in Choro assistere, Ecclesiasticis interdiximus. Meminerint itaque Sacerdotes (quemadmodum ad suos Fratres dicebat Humbertus, Quintus in ordine Magister Generalis Prædicatorum, *in suo specul. religios. lib.* 4. *cap* 20.) quod *offenduntur*, si ipsi rebus divinis irreverenter assistunt, *Angeli, qui illis psallentibus adjunguntur*. Recordentur salutaria monita, quibus D. Carolus Ecclesiasticos suos omnes, qui Divinis interessebant officijs, est adhortatus. *Attendite ritè, piè, religiosè divinas laudes concelebrare. Psallite Deo in conspectu Angelorum cantantes in cordibus vestris.*

Eam ad rem, placuit Nobis, his Additionibus, Sacr. Congregationis Concilij Declarationem adjungere, quâ, *in una Montis Marani servitij Ecclesiæ* articulum resolvit, quo quærebatur, an hujusmodi inhibitio ab Episcopo facta sustineretur, ut in sequenti.

Vicarius Generalis Episcopi Montis Marani, cum, explendo pro Episcopo munere Sanctæ Visitationis, reperisset, quod in Oppido Vulturariæ illius Diœcesis, Presbyteri assistebant Missis Defun-

Defunctorum Anniversarijs, Votivis, & alijs Divinis Officijs in Choro, absque Cottâ, & Bircto Clericali, & curtâ veste indutâ, edictum hujusmodi abusum prohibens promulgavit. Verum, interpositâ ab eo appellatione, sub obtentu contrariæ consuetudinis, cum ab Auditore Sanctissimi fuerit ad Sacram Congregationem Concilij causa remissa, hæc Dubia fuerunt proposita.

I. An *Presbyteri Ecclesiæ Vulturariæ teneantur canere Missas Anniversarias Defunctorum, & alia Divina Officia in Ecclesiâ, & Choro, cum Cottâ, veste talari, & Bireto Clericali, in casu &c.*

II. An *in Missis Anniversarijs canendis pro Defunctis, teneantur canere Sequentiam* Dies iræ, *in casu &c.*

III. An *in Missis prædictis canenda sit Epistola in Choro, vel potius ante Altare, in cornu Epistolæ, ab uno de Clero, in casu &c.*

IV. An *Missa canenda sit cum assistentiâ saltem Clerici Cottâ induti, vel potiùs sine Cottâ, & licitum sit Laico inservire Celebranti, in casu &c.*

Sacra Congregatio sub die 30. Januarij 1723. Respondit.

Ad primum, & secundum, *Affirmativè*.

Ad tertium, quo ad primam partem, *Negativè*, &, ad secundam, *Affirmativè*.

Ad quartum, *Missam esse canendam cum assistentiâ saltem Clerici Cottâ induti*.

Variæ de Fidei Professione a Canonicis emittendæ quæstiones Sacr. Congreg. Concil. Declarationibus resolvuntur.

XXI.

ECclesiarum Cathedralium Canonicos, ad emittendam Fidei Professionem, ad minus intra duos menses a die adeptæ possessionis, obligatos esse, certissimum est. Sic enim à Sacr. Concilio Tridentino *Sess* 24. *de Refor. cap.* 12 decretum est, statutamque ejus Professionis faciendæ formam habemus à Pio IV. Constitutione ejus 89. Idib Novemb. 1564. editâ, quam in primâ Nostrâ Pisanâ Synodo *Addit. Part.* 2. *ad cap.* 1. *de Fidei cultu, & Professione* videre est. Hoc extra omnem disceptationem posito, varia à Doctoribus circa Fidei Professionem examinantur quæstiones: Et primo quidem: An hæc obligatio emittendi Fidei Professionem, ad Canonicos

quoque Ecclesiarum Collegiatarum extendatur? Et extendi opinatus est *Zerol in prax. Epis part.* 1. §. 5. *num* 4. *ver. Fidei Professio*, quem sequutus est, *Ugolin. de offic. Epis. apud Garz. de Benef. part.* 3. *cap.* 3. *n.* 13 *& apud Barbos de offic. & Potest. Epis part.* 3 *alleg.* 61. *n.* 15 deducto argumento ex Concilio Tridentino *sess.* 25. *de reformat. cap.* 2. *ver. cæteri vero*. At vero, cum Concilium, de Professione, ab omnibus, qui habent Ecclesiastica Beneficia, facienda, & ibi, & *in cap* 12. superius citato (ut in primâ Nostrâ Synodo) & in allegatâ Constitutione 89. Pius Quartus de Canonicatibus solum, & Dignitatibus Cathedralium loquantur, communis est Doctorum sententia, Collegiatarum Canonicatus nullatenus hac obligatione teneri. *Garz. de Benef. dict. cap* 3. *num.* 12. *Barb d. Alleg* 61. *n.* 15. *Antonel. de regim. Eccl. lib.* 3. *cap* 14 *num* 2.

Quæritur secundo, magisque controvertitur, an Fidei Professio fieri possit per Procuratorem, ad hoc speciale mandatum habentem, quemadmodum per Procuratorem capi potest ipsius Canonicatus possessio? Dissident in hoc articulo resolvendo Doctores, & affirmativâ alij, alij negativam sententiam amplectuntur. Pro affirmativâ regulas illas satis tritas allegant: *Potest, quis per alium facere, quod potest facere per se ipsum*, *Cap. Potest.* 69. *de R. J. in 6. Qui facit per alium est perinde, ac si faciat per seipsū*, *Cap. qui facit* 73. *eod. tit.* Quibus regulariter conceditur, fieri posse per Procuratorem, quæ per nosmetipsos facere possumus, dummodo non aliter leges, Canonesve constituant. Et propriùs ad rem, textum afferunt *in can. Optatum* 4. *in fine dist.* 100. ex quo, cum denegarum fuerit Pallium Episcopo Agrippuensi, quia nec emiserat Fidei Professionem, *nec aliquem, qui hanc jure jurando firmaret, miserit*, inferunt, idem esse, vel per se, vel per alium, medio juramento, illam emittere, tum vel maxime, quod Fidei Professio nihil aliud est, quam solemne juramentum. Id autem potest per Procuratorem præstari, *can Tibi Domino* 33. *dist.* 63. Exemplo juramenti Fidelitatis, quod, consentiente Domino Feudi, per Procuratorem præstatur, *cap. Periculoso*, §. *verum de Stat. Regul. in* 6. Porrò hanc sententiam verissimam dicit, *Barbosa d. Alleg.* 61. *n.* 20. eamque sequuntur *Azor. tract. Mor. par* 2. *lib.* 6. *q.* 6. *Navar. Consul.* 11. *de Jur. Juran. Ferentill. in adnotat.*

ad

ad Buratt. decis. 522. *n.* 6. *Sperell. decis.* 106. & alij apud eos.

Negativam tamen sequuntur, ac firmant *Garz. prad cap.* 61. *n.* 75 *Grat Discept. Forens cap.* 66. *n.* 22. *Gonzal ad Reg.* 8. *Gloss.* 6. *n.* 211. *& Gloss.* 13. §. 1. *n.* 22. *Dian. resol. Alor. par* 5 *tract.* 14. *Resol.* 22. Affirmativa enim ex diametro repugnat stylo, & usui Curiæ Romanæ, quæ aliarum Curiarum omnium Magistra, & mater est, quemadmodum testatur Pyrrhus Corradus inter Curiales peritissimus *Prax. Benef. libr.* 2. *cap.* 16. *num.* 45. Quare, & in Sacro Rotæ Auditorio, rejecta fuit apud eumdem *Garz. loc. cit.*, ubi, *sub num.* 75. *&* 76. ejusdem Decisiones transcribit. Et negativæ adhærens sententiæ, plures Declarationes emisit Sacra Congregatio Concilij super *cap.* 12. *de reform. sess.* 24. præsertim verò *in unâ Caliguritanâ sub die* 22. *Septembris* 1696. in quâ consulenti super hoc eam Episcopo ita respondit: *Non admittat Provisos ad Professionem Fidei, nisi per se ipsos emittant.*

Quæri tertio potest: An Fidei Professio coram Vicario, etiam Episcopo non impedito, fieri possit, eâ nimirum ratione, quod à Concilio Tridentino eam, *in manibus Episcopi, vel, eo impedito, coram Generali ejus Vicario*, emitti præcipitur? Sed communis est Doctorum resolutio, quæ & in praxim reducta est, verba illa Concilij apposita tantum fuisse, ut moneant, denotentque, magis convenire, si, cessante impedimento, Fidei Professio in Manibus Episcopi emittatur, non vero ad restringendam facultatem ejus etiam coram Vicario Generali faciendæ concessam: quemadmodum licet idem *in cap.* 28. *ejusd. sess* 24. *de reform.* statuatur circa Concursum, fieri nihilominus hic coram Vicario liberè potest, etiam non verificato Episcopi impedimento. *Garz. loc. cit Barbos. de Offic. Par. cap.* 2. *n.* 52. *Pyrrh. Corrad. d. cap.* 16. *n.* 16.

Quæritur quarto ad verum intellectum *d cap.* 12. An declarante Concilio, ut, *Provisi de Canonicatibus, non solum coram Episcopo, seu ejus Officiali, sed etiam in Capitulo idem facere teneantur*, sufficiat, si Fidei Professio coram Primâ Dignitate, aut Decano, aut uno ex antiquioribus Canonicis, Capitulum repræsentante, emittatur? Sed difficultas omnis a Sac. Congregatione sublata est, quæ sub die 7. Augusti 1683. huic quæsito rescripsit, *eam esse emittendam coram Canonicis Capitulariter congregatis.*

Quinto. Cum Concilium declaret, quod Canonici, non emissâ Fidei Professione, elapsisque duobus mensibus, *non faciant fructus suos, nec illis Possessio suffragetur*, duo ex hac Sacri Concilij Declaratione emergunt Dubia. Primo enim dubitatur: An Canonicus, Fructus, quos, post duos menses ad faciendam Fidei professionem sibi assignatos, eâ non factâ, percepit, teneatur in conscientiâ restituere, antequam ad eorum restitutionem per sententiam condamnetur?

Et obligari quidem in conscientiâ ad eos, etiã nullâ interveniente sententiâ, restituendos, ex ea ratione, quod fructus suos non faciat, nullumque jus ad eos habeat, sentiunt *Garzias. Azorius loc. cit.*, & alij apud *Barbos d Alleg. 61 n.* 8.

E contrario verò, cum Decretum Concilij sit pœnale ad ejusmodi restitutionem, nisi condamnetur, in foro conscientiæ non obligari, tenent apud eumdem Barbosam, qui probabilius hoc reputat, *Navar. Sanch Bonac. d. Alleg. 61*.

Verum licet dissideant quoad hoc Doctores, conveniunt tamen in eo, quod Distributiones non amittat, sed eas etiam non emissâ Professione acquirat, cum hæ ratione ministerij dentur, & operæ personalis, quam præstitit. *Grat. d. Discept.* 166. *n.* 2. *Monet. de distrib. quot. par.* 2. *quæst.* 19. *num.* 39. *Bonac. Azor. Garz. & alij apud eumdem Barbos. d. Alleg.* 61. *num.* 30 *& apud Antonel. de regim. Eccles. Episc. libr.* 3. *cap.* 14. *num.* 11.

Dubitatur secundo, quid verba illa pœnalia operentur: *Professio illi non suffragetur*? Et communiter respondent Doctores, ad mentem etiam Sac. Congregationis, Possessionem solum illi non suffragari, quoad fructuum perceptionem, non quoad titulum, & alios Possessionis effectus, nimirum, quoad Distributiones quotidianas, quoad vocem in Capitulo, quoad jus præcedendi a die captæ Possessionis *Flam. de resign. lib.* 8. *quæst* 9 *n.* 121 *Ferent. ad decis.* 522. *Buratt n.* 17 *Rotâ in Varmien. Canonicatus* 28 *Aprilis, &* 13. *Junij* 1608. *&* 4 *Febr.* 1640. *coram Sacrato. Barbos. d. Alleg* 61 *n.* 27. *& alij apud Antonell. d. cap.* 14. *n* 8 *& Pyr. Corrad. d. cap.* 16 *n.* 25.

Quamobrem, cum hæc apud Auctores resoluta vidisse non satis haberet Episcopus Cathacensis, pleniorem, certioremque a Sacra Congregatione Concilij resolutionem requisivit, pro-

propoſitiſque coram eâ ſub die 26. Januarij 1726. ſequentibus dubijs.

I. *An Profeſſio Fidei ſit emittenda, tam a Canonicis Cathedralium, quam Collegiatarum?*

II. *An eadem emitti poſſit per Procuratorem?*

III. *An ſit emittenda coram Epiſcopo, aut ejus Vicario, & deinde coram Canonicis capitulariter congregatis?*

IV. *Quibus pœnis ſubjaceant non emittentes, vel debito modo non emittentes Profeſſionem Fidei? in Caſu &c.*

Sacra Congregatio, ſub die 19. Februarij ejuſdem Anni, Reſpondit:

Ad primum, *eſſe emittendam a Canonicis Cathedralium, & non Collegiatarum.*

Ad Secundum, *Negativè.*

Ad Tertium, *emittendam eſſe coram Epiſcopo, aut ejus Vicario, & etiam coram Canonicis Capitulariter congregatis: ſufficere tamen, ſi emittatur coram Capitulo, cui Epiſcopus, vel Vicarius Generalis interſit.*

Ad quartum, *non facere fructus ſuos, ſed Diſtributiones lucrari, pro horis, quibus interſint.*

Decretum Sacræ Congregationis Concilij à Sanctiſſimo Domino Noſtro Benedicto XIII. approbatum, & confirmatum, cum Literis Encyclicis, ad Epiſcopos directis, pro illius executione.

De qualitate Doctoratus à Conſtitutionibus Apoſtolicis, ſeu quibuſcumque Eccleſiaſticis ſtatutis requiſitâ.

XXII.

Lis eſt inter Doctores, an illi, qui Gradum Doctoratus, non in publicâ aliquâ Univerſitate, ſed in vim alicujus privilegij particularis, ſunt conſecuti, gaudere debeant privilegijs alijs Doctoribus conceſsis, & conſequenter capaces ſint Dignitatum, & Officiorum, in quibus qualitas Doctoris expoſcitur, *ad text. in L. privilegijs de Offic. Magiſtr. Officior.* in qua Imperator Conſtantinus declarat, quæ forma in ſcholis literarijs.

rarijs servanda sit in promovendis ad officia, *ut ad ea nemo suffragio, sed labore quisque pervenerit*.

Multorum est opinio, eos gaudere privilegijs, quibus alij gaudent Doctores. Nam Doctoratùs honore aliquem insignire, dubitari non potest, quin sit de Regalibus Principis *Sextin. de Regal lib. 1. cap. 2. num. 28. Ripoll. de eod. cap. 48 num. 8.* Ad Principem enim spectat gradus, & dignitates conferre, *Grat. Discept foren. cap 186. num. 75.* Ergo nec revocari in dubium poterit, quin illi, qui gradū obtinent Doctoratus ab habente authoritatem a Principe illum concedendi, non privilegijs omnibus gaudeant, quibus alij gaudent Doctores. Ideo Universitates authoritatem habent Doctores creandi, quia eam a Principe acceperunt, *L. Magistris 7. C. de Profess. & Medic.* & Princeps, vel immediate per se ipsum, vel mediate per alium faciat, per se ipsum facere videtur, *L. 1 ff ad Turpill.* E contrario, cum magno Doctorum consensu. diversam amplectuntur opinionem nonnulli, qui apud Matthæum Colerium videri possunt recollecti *par. 2. cap. 3. n. 13. de Process. execut. Jacob. Benium de Privileg. Jurisconsult.*, eâ prȩsertim ratione, quod, qui Lauream Doctoralem in publicâ Universitate non consequuntur, nec scientiam illam præsumuntur habere, in qua, sine publico examine, declarati Doctores fuerunt, *Menoch. lib. 2. quæst. 126. num. 18. Guid. Papien Gratian Escobar Novar. & alij penes Cortrad. decis. 135. n. 81. Mendo de Jure Accademico lib. 1. quæst. 12. n. 34.*

Alij tandem, Doctorem creare, de Regalibus esse, proindeque posse Principem solo verbo Doctorem aliquem facere, non controvertunt, *Mastril. pluribus relatis in tract. de Magistrat. lib. 3. cap. 10. num. 88. Mend. d. lib. 1 quæst. 15. n. 370. & 371.* Immò concedunt præterea, eum, qui Doctor ita creatus fuerit, non modo gaudere singulis privilegijs, quibus alij Doctores gaudent, in quacumque publicâ Universitate laureati fuerint, verum etiam ijs præcedere debere, *Abb. in cap. per tuas. n. 1. Rubr n. 2. Felin. n. 3. Barbos num 8. de Major & Obed. Cortrad. d. decis. 135. num. 84. Mend. d quæst. 15. n 173.* hoc tamen limitant, si, nullo præcedente rigoroso examine, fuerit quis a Principe Doctor creatus, in quo casu nullatenus gaudere opinantur. *Felin. ubi supra n. 1. limit. 1. Gratian. d. dis-*

d. disceр. 187. *num.* 77. *Cortrad. d. decis.* 135. *pluribus citatis, sub num.* 84. *Mend. d. quæst.* 15. *num.* 374. *Pereir. de Academ. num.* 1372. ex quo hujusmodi Doctores pro Graduatis non haberi in Hispania, scribit *Rabuff. apud Gratian d. discep.* 186. *num* 74. nec in Gallia *Carol. de Luca ad eumd. Gratian loc. cit. num.* 13. Immo, aliquos a Regibus Hispanis solo verbo Doctores creatos fuisse, nec lectum, nec auditum esse testantur *Cortrad d. decis.* 135. *n.* 80. *Mend. d. cap* 15. *num.* 374.

Verum, quidquid sit de hac opinionum contrarietate pro alijs Dignitatibus, & muneribus, quod ad prudentiam, & supremam Principum authoritatem spectat decernere, nec nostrum est longiùs examinare, & multo minus, quid tenendum, declarare; certum est, quod Gradus Doctoratus, a Sacris Constitutionibus, ac Ecclesiasticis statutis requisitus pro obtinendis Dignitatibus, Canonicatibus, Officijs, & alijs quibuscumque muneribus Ecclesiasticis, in quibus qualitas Doctoralis exigitur, in publicâ aliquâ Universitate debet esse receptus.

Hoc pluries declaravit Sacra Congregatio Concilij, & novissime omnibus Ordinarijs in promovendis ad dictas Dignitates, Canonicatus, officia, & munera Ecclesiastica observari ad mentem SS. Domini Nostri Benedicti XIII. sequentibus literis Encyclicis mandavit.

PER-ILLUSTRIS, ET REVERENDISSIME DOMINE,
UTI FRATER.

CUm a Sac. Tridentino Concilio *sess.* 22. *cap.* 2. *de Refor.* statutum sit, neminem ad Episcopatum esse assumendũ, qui in Universitate Studiorum Magister, sive Doctor, aut Licentiatus in Sacra Theologia, vel Jure Canonico meritò promotus non sit, aut publico alicujus Academiæ testimonio idoneus ad alios edocendos non fuerit denuntiatus: Itemque *sess.* 24 *cap.* 16 Vicarium Capitularem esse debere saltem in Jure Canonico Doctorem, vel Licentiatum, aut aliàs, quantũ fieri poterit, idoneum; Et eâdem *sess cap.* 8 Pœnitentiarium esse ab Episcopo in sua Cathedrali instituendum, qui Magister sit, vel Doctor, aut Licentiatus in S. Theologia, vel Jure

Cano-

Canonico; Quod ipsum *cap.* 12. extendit ad Archidiaconos, & ad Dignitates omnes, & saltem ad dimidiam partem Canonicorum in Cathedralibus Ecclesijs, & Collegiatis Insignibus; quoad eas saltem Provincias, ubi id commodè fieri possit; *Et sess.* 23. *cap.* 18. eadem Sacrosancta Synodus mandaverit, quòd Officia, vel Dignitates illæ, quæ Scholasteriæ dicuntur, non nisi Doctoribus, vel Magistris, aut Licentiatis in Sacrâ Paginâ, aut in Jure Canonico, & alijs Personis idoneis, quæ per se ipsos id munus explicare possint, conferantur; *Et sess.* 24. *cap.* 18. inter cœteras qualitates, quas exposcit in Examinatoribus ad Parochiales, præscripserit, quòd deberent esse Magistri, vel Doctores, aut Licentiati in Theologiâ, vel Jure Canonico, vel alij Clerici, seu Regulares, etiam ex Ordine Mendicantium, aut etiam Sæculares, qui ad id videbuntur magis idonei, & hæc eadem Doctoratus, seù Licentiaturæ qualitas, ab alijs Constitutionibus Apostolicis, atque Statutis Ecclesiarum Patriarchalium, Metropolitanarum,& Cathedralium, quoad Dignitates, Canonicatus, & Officia quædam Ecclesiastica, injuncta sit; Cordi semper fuit, tam Summis Pontificibus, quàm Sacræ huic Congregationi Eminentissimorum Cardinalium Sacr. Concilij Tridentini Interpretum, ut sarta tecta permanerent, unacum alijs Conciliaribus dispositionibus, etiam ea, quæ in superioribus fuerunt exposita, sublatis quibuscumque subterfugijs, & illusionibus, & alijs quibuscumque, rectæ Disciplinæ adversantibus. Sanctus etenim Pius V. *in sua Constitutione 60. Bullarii Rom. Tom.* 2. decrevit, & declaravit, eos, qui à Comitibus Palatinis, & quibusvis Collegijs Officialium Romanæ Curiæ, & singulis alijs Personis, ad Doctoratum, Licentiaturam, & Magisterium fuissent promoti, nullâ Gradus prærogativa frui, & gaudere posse, vel debere, quoad Dignitates, & cœtera Beneficia Ecclesiastica, & hæc eadem Sacra Congregatio, approbante fel. record Clemente Papa X. sequens edidit Generale Decretum, nempè.

Die 22. Julij 1673. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, animadvertens quamplures impetrare, ac obtinere Dignitates, ac Beneficia, ex præscripto Sacrarum Constitutionum, aut Decretorum ipsius Concilij Gra-

Gradum aliquem requirentia, non obstante, quod Gradus hujusmodi assecuti non fuerint in publicâ, & approbatâ Universitate, contra formam Constitutionis B. Pij V. incipien. Quamvis à Sede Apostolica &c. ac volens propterea, tam utilium Sanctionum observationi in posterùm constanter prospicere; Inhærendo Constitutioni præfatæ, ac Declarationibus aliàs factis, iterùm decrevit, quòd Gradus Magisterij, vel Doctoratus, aut Licentiaturæ, à dd. Sacris Dispositionibus requisiti, debeant esse recepti, seù respectivè recipi in publicâ, & approbatâ Universitate; Aliàs præter pœnas, ab ipsis Sanctionibus contra Inobservantes inflictas, præfatæ Dignitates, vel Beneficia aliter collata vacent eo ipso, ac proinde taliter Provisi non faciant fructus suos, eaque ex hoc capite impetrari possint: & die 26. ejusdem, facta de præmissis relatione Sanctissimo, Sanctitas Sua præsens Decretum approbavit, observari mandavit, ac publicari.

Et hoc ipso currenti anno, Sacra Congregatio prædicta statuit, & decrevit (re priùs concordatâ cum Eminentissimo Prodatario Sanctissimi D. N.) ut in Commissionibus, quæ à Sede Apostolicâ diriguntur Personis, degentibus in alijs Regionibus, quæ dicuntur mutatio Judicis, & quæ aliquandò expediuntur, quandò Partes recurrunt à Judicatis Ordinariorum, & instant pro deputatione novi Judicis, loco appellationis in Curia, Clausula in posterùm apponeretur, quòd ille, cui fit Commissio, debeat esse in aliquâ publicâ, & approbatâ Universitate Doctor, aut Licentiatus in S. Theologiâ, vel in utroque Jure, & non aliàs, aliter, vel alio modo, uti desumitur ex resolutionibus editis die 17. Novembris 1725. & die 9. Februarij 1726. quod ipsum die 30. Martij hujus ejusdem anni, extensum fuit etiam ad Subdelegatos, in quibus subdelegatio habet locū, itaut, sicut ille, cui præfatæ diriguntur Commissiones, debet esse Doctor, aut Licentiatus in aliquâ publicâ, & approbatâ Universitate, in S. Theologiâ, vel in utroque Jure, ita hâc eâdem qualitate potitus esse debeat ille, qui à Delegato subdelegatur in casibus, in quibus locus esse potest subdelegationi.

Ut autem hæ omnes Resolutiones, & Decreta, nedum innotescant, sed etiam debitum sortiantur effectum, Eminentissimi PP. ejusdem Sacræ Congregationis Concilij, sicuti Lo-

R corum

corum Ordinarios, per encyclicas Literas, monendos esse statuerunt, ita Ampl. Tuæ injungendum duxerunt, prout præsentibus injungunt, nè sinat aliquem promoveri ad Dignitates, Canonicatus, Officia, & quæcumque Munera Ecclesiastica, in quibus qualitas Doctoris, aut Licentiati in Sacrâ Theologiâ, vel Jure Canonico, aut in utroque Jure exposcitur à Sacro Concilio Tridentino, aut Constitutionibus Apostolicis, aut quibuscumque Ecclesiasticis Statutis, qui Doctoratum, aut Licentiaturam consecutus non sit in aliquâ publicâ, & approbatâ Universitate, & prævio necessario examine, per eos ipsos, & non per alios, qui ab eis subdelegentur, expleto, hoc est per eos ipsos, qui membra sunt ejus publicæ, & approbatæ Universitatis, per quam expletur collatio Gradus Magisterij, aut Licentiaturæ: Renovatis adversus eos omnes, qui aliter Magisterium, aut Licentiaturam fuerint consecuti, omnibus pœnis statutis, tam in Bulla S. Pij V. quàm in suprà relato Decreto anni 1673. ita approbante, & confirmante Sanctissimo D. N. Benedicto Papa XIII. Qui pro inviolavibili præmissorum omnium observantiâ, ulteriùs derogavit omnibus in contrarium facientibus, sivè Consuetudinibus centenarijs, & etiam immemorabilibus; mandavitque, ut ad perpetuam rei memoriam harum Literarum exemplar in ista Archiepiscopali Cancellariâ asseruetur.

Supradictæ itaque Sacræ Congregationis Sententiæ, & Sanctitatis Suæ Menti se conformare non omittat Ampl. Tua, cui omnia fausta ex corde precamur à Domino.

Romæ hac die 28. Septembris 1726.

Ampl. Tuæ. Uti Frater Studiosus.

C. Card. Oregus Præf.

P. Archiep. Theodos, & Secr.

De Resignatione Beneficij, ad cujus titulum Resignans est ordinatus.

Decretum Sacræ Congregationis Concilij Tridentini, quo plura Dubia resolvuntur.

XXIII.

Cum Sacrum Concilium Tridentinum expressè declaret, *in sess.* 21. *cap.* 2. quod non possit quis Beneficium resigna-

gnare, *nisi factâ mentione, quod ad illius Beneficij titulum sit promotus, neque ea resignatio admittatur, nisi constito, quod aliunde vivere commodè possit, & aliter facta resignatio, nulla sit*; cumque ex his Concilij verbis forma inducatur in resignatione, ad ejus validitatem, specificè adimplenda, nullatenus potest hæc individualis expressio omitti, &, si omittatur, nulla redditur resignatio *Paris. de Resign. lib.* 2 *quæst.* 6. *num.* 36. *&* 39. *Garz. de Benef. part.* 2. *cap* 5. *n.* 192. *Rota apud eumdem sub num* 438. *Pyrr. Corrad. Prax. Benefic lib.* 5. *cap.* 1. *n.* 43. *&* 44.

Nec suffragatur, quod, aliunde habeat Resignans, quò vivere possit, ac proinde, quod, adimpletâ Concilij mente, quæ est, ne in opprobrium Ordinis Clericalis, cogatur Clericus mendicare, intret regula, quod valeat forma per æquipollens impleri, quotiescumque habetur effectus a lege desideratus. Nam, cum duo exigantur a Concilio, & quod Resignans habeat unde commodè vivere possit, & quod in resignatione exprimatur, ad ejus titulum fuisse promotum, non sufficit, ex duobus requisitis unum tantum adimplevisse, quemadmodum respondit *Rota decis.* 856. *n.* 1. *&* 2. *coram Buratto Decis.* 146. *n.* 12. *&* 13. *coram Mellino, & coram Remboldo Leodien. Canonicatus S. Jannis* 28. *Junij* 1621. Præter quamquod, cum prædicta verba, *& aliter facta resignatio, nulla sit*, contineant decretum irritans, non potest hoc per æquipollens adimpleri *Marescott. var. resolut. lib.* 2. *cap.* 30. *n* 10. *Barbos. de Offic. et Pot. Episc. allegat* 19. *n* 32 *& seq* & sic declaravit Sacra Congregatio Concilij, *apud Garz. d cap.* 5 *n.* 193. Quod procedit, sive resignatio Beneficij fiat coram Ordinario, sive corã Pontifice, licet Concilium resignationes factas in manibus Pontificis comprehendere non videatur, prout declarat *Rota in ead. decis coram Rimboldo, & Buratto. Ventrigl. Tom.* 1. *Adnot.* 42. §. 1. *n.* 9 *Carol. Ant. de Luca ad eamdem Adnot.* §. 1. *n.* 2.

Et quamquam usus in Curia sit, ut, si tempore resignationis ignoretur, an Resignans ordinatus sit ad illius Beneficij titulum, addatur dictio *forsan*, videlicet, *Ad cujus titulum ad Sacros Ordines forsan promotus fuit*; id tamen in resignationibus voluntarijs, de quibus loquitur Concilium, ad ejus mentem implendam, non sufficeret. *Pyrr Corrad. d. lib.* 5. *cap.* 1. *n.* 44. *& apud eumdem Garz. d. cap.* 5. *n.* 219. *& seq.*

Quamobrem cum ab Archiepiſcopo Lancianenſi quæſitum fuerit Oraculum Sacræ Congregationis Concilij ſuper Dubijs, quæ occurrebant, occaſione executionis literarum Apoſtolicarum, ſuper renunciationibus Beneficiorum, ad quorum titulum Renunciantes promoti fuerant.

Propoſitis ſub die 9. Februarij 1726. ſequentibus Dubijs;

I. *An Ordinatus ad titulum Beneficij, teneatur in illius Reſignatione individualiter exprimere, ſe fuiſſe ad ejus titulũ ordinatũ?*

II. *An hæc individua expreſſio ſuppleatur per aſſertivam, forſan ordinatus?*

III. *An conſtare debeat per probationes concludentes, Reſignantem habere, quò commodè vivere poſſit?*

IV. *An hæc probatio cenſeatur adimpleta per ſolam confeſſionem juratam Reſignantis?*

V. *An reſignans teneatur aliud Beneficium habitum, vel alia bona ſurrogare Beneficio reſignato?*

VI. *An hæc ſubrogatio facienda ſit per Epiſcopi declaratoriam in Caſu &c.*

Sacra Congregatio, ſub die 9. reſcripſit;

Ad primum; *affirmativè*.

Ad ſecundum: *Negativè; & ad mentem, & mens eſt, quod hæc reſolutio habeat locum in futuris reſignationibus*.

Ad tertium, quintum, & ſextum, *affirmativè*.

Ad quartum, *Negativè*.

AD CAPUT XXV.

De Vitâ, & Honeſtate Clericorum.

Decretum Sacræ Congregationis Concilij, contra Clericos Beneficiatos in Theatris canentes.

XXIV.

CUm nihil turpius ſit, ut dicebat Salvianus, quam eſſe excellentem culmine, & deſpicabilem vilitate, *lib.* 2. *ad Eccl Cath.* & viliſſimus computandus ſit, niſi præcellat ſcientiâ, & ſanctitate, qui eſt honore præſtantior, *can. viliſſimus* 1 *q.* 1. oportet, Sacerdotes, qui in alto gradu ſunt poſiti, in ſublimi quo-

quoque vitutum esse culmine erectos *S. Laurent. Justin. de Instruct. & regim. Prel. cap.* 11. nec solum ab his abstinere, quæ sunt secundum se mala, sed etiam ab his, quæ habent speciem mali, ad mentem D. Thomæ, qui hanc obligationem docet esse in Sacerdotibus 2. 2. *quæst.* 77. *Art.* 4. *ad* 3. in quibus, quod in Laicis culpa non est, crimen esse dicit Gregorius, scribens ad Sabinum Subdiaconum *lib.* 8. *Epist.* 5. & quæ in alijs non vocantur ad culpam, in illis illicita reputari sentit similiter Leo, *Epist.* 84. *cap.* 3.

Et meritò: cum enim vocentur *Ecclesiarum Magistri* à Sancto Prospero Aquitano *lib.* 2. *de vit. contemplat. Sacerdot. cap.* 2. *Doctores pietatis* à S. Gregorio Nisseno *Orat. in Bapt. Christ: Luminaria, & Magistri ceterorum* à D. Joanne Chrysostomo *Homil.* 10. *in Epist.* 1. *ad Timoth.* qualis esset ædificatio discipuli, si se intelligeret Magistro esse meliorem? *can. qualis* 8. *q.* 1. Quid mirari posset, quid discere ab eo, si nihil aspiceret, quod ultra se inveniret, si, quæ erubescit in se, respiceret in eo, quem reverendum arbitratur? *Orig. contra Cels. lib.* 1. Ex quo conquerebatur D. Ambrosius, quod cum Populum redargueret, posset illi objci, magis Clericos esse negligentes *Serm.* 83.

Quamobrem paternâ charitate Innocentius II. coactus fuit in Concilio Lateranensi 2. Romæ Anno 1139. celebrato, præcipere Clericis, ut Deo, & hominibus placere studeant, nilque agere, quod intuentium, quorum forma, & exemplum esse debent, offenderet aspectum: quod præceptum renovatum etiam fuit ab Eugenio III. in Concilio Romano, & transcriptum à Gratiano *in can. præcipimus* 21 *quæst.* 4.

Sollicita proinde semper Ecclesia fuit, ut inter alia, quæ illorum animum obscurare possunt, quos, ad instar luminis universum orbem illustrantis, splendescere oportet *D. Chrysost. lib.* 6. *de Sacerd. cap.* 4. se cohiberent ab inanium fabularum oblectamentis, quæ, ut considerabat Isidorus, mentem excitant ad incentiva libidinis *libr.* 3. *de summ. bon cap.* 13. cohiberent a profanis spectaculis, quæ in nuptijs, aut in scenis exhibentur, *can. non oportet* 37. *Dist* 5. *de Consecr.* cum, qui pudicus ad spectaculum processerat, plerumque de spectaculo revertatur impudicus, ut acriter, hæc redarguens, exaggerat Cyprianus *Epist.* 2. *ad Donatum ejus collegam*.

Hinc

Hinc est, quod Concil. Nematense, *cap.* 10 *in Can. Nullus dist.* 44. repetitū *in alio, c. nullus de Consec. dist.* 5. mandat Clericis, ne fabulas inanes referre, aut cantare præsumant. *Quid, quæso nobis cum fabulis?* Inquit Ambrosius: *Ministerium Altaris Christi, non obsequiū hominibus deferendū accepimus. Offic lib.* 1. *cap.* 2.

Conciliū Aquisgranense, *can.* 100 cum lege Patrū caveatur, ut à vulgari vitâ seclusi, à voluptatibus mundi se abstineant, jubet Clericis, ne spectaculis intersint: quod habetur etiam in *can. his igitur* 3. *dist.* 23.

Conciliū Constantinopolitanū quinisextum, in Trullo Palatij Imperatoris celebratū, cujus plures Canones, quia sanæ doctrinæ erant, fuerunt a Catholicis recepti, *can.* 51 prohibet Clericis Mimos, eorumque spectacula, & Saltationes in scenâ, & Clericos, qui hunc Canonem contempserint, mandat deponi.

Concilium Forolivense sub Hadriano I. convocatum *cap.* 6. decernit, ut omnes sub Ecclesiastico Canone constituti, a Canticis secularibus, à Lyris, a Tibijs, & similibus lusibus penitus continere se debeant.

Concilium Parisiense VI *can.* 38. cum fas non sit, oculos Sacerdotum spectaculis fœdari, aut mentem quibuslibet scurrilitatibus ad inania rapi, Clericis prohibet intervenire spectaculis, Histrionibus, alijsque vanitatibus, quæ animum Christianum à rigore suæ rectitudinis emollire solent, & in cachinnos dissolvere.

Concilium Carthaginiense IV. in *cap Clericum* 6. *dist.* 46. statuit, Clericos Scurras, & Scurriles jocos agentes ab officio esse retrahendos.

In Concilio Mediolanensi I. *part* 2. *tit. Arm lude* D. Carolus enervatæ disciplinæ reparator, præcipit Clericis, ne Fabulis, Comœdijs, Hastiludijs, & similibus profanis spectaculis interveniant, ut aures, & oculi sacris officijs addicti, ludicris, & impuris actionibus, sermonibusque distracti, non polluantur.

Innocentius III. *in cap. Clerici* 15. *de Vitâ, & Honest. Clericor.* Legem ponens Clericis, quod officia secularia, maximè inhonesta nullatenus exerceant, præcipit inter alia, quod Mimis, Joculatoribus, & Histrionibus non intendant.

Bonifacius VIII *Cap. unico de Vitâ, & Honest. Clericorum in* 6. decernit Clericos, qui suæ ipsorum dignitati detrahentes,

jacu-

Joculatorios, Goliardos, Bufones se faciunt, si per annum hoc fecisse constiterit, omni carere privilegio Clericali.

Nec mirari debent, si tantam, atque tam gravem in hoc Ecclesia solicitudinem prætulit. Meminerint enim spectacula & Theatra a Tertulliano *lib. de spectac. cap.* 6. vocari *Sacrarium Veneris*, *&* *sub cap.* 17. appellari *privatum consortium impudicitiæ, ubi nihil probatur, quam quod alibi non probatur.*

Meminerint, quam doleret Hieronymus, cum e Palestinâ ad Damasum Pontificem scriberet *Epist* 146. ut legitur etiam *in Can. Sacerdotes* 2. *distinct.* 37 quamque acerbè ferret, quod, omissis Dei Evangelijs, & Prophetis, Sacerdotes Comœdias legerent, & amatoria Bucolicorum versuum verba canerent.

Meminerint tandem, & erubescant, Imperatores ipsos, quantum Clericorum dignitatem hæc dedecere existimarent, dissimulare non potuisse, & ex illis Honorium, & Theodosium *in L. placet* 17. *C de Episc & Cleric.* Justinianum *in Auth sub eodem Titulo* § *Interdicimus Collect.* 9. *Tit.* 6. *Novell.* 123. eos accedere ad publica spectacula non permisisse.

Nec suadere sibi debent, ad excusandas excusationes in peccatis, hujusmodi antiquorum Canonum, & Sacrorum Conciliorum rigorem contrariâ consuetudine emollitum, ab Aulâ, ut dici solet, recessisse. Concilium enim Tridentinum *sess.* 22. *de Reform. cap.* 1. sic decernit · *Quæ alias à Summis Pontificibus, & à Sacris Concilijs de Clericorum Vitâ, & honestate, cultu, doctrinâque, & simul de luxu, comessationibus, Choreis, Aleis, lusibus, ac quibuscumque criminibus, nec non secularibus negotijs fugiendis, copiosè, ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum, ijsdem pænis, vel majoribus, arbitrio Ordinarij, imponendis, observentur.*

Si igitur hujusmodi ludis theatralibus, spectaculis, Comœdijs, Clerici, tam districtè ab Ecclesiâ interesse prohibentur, quanto magis Comœdias agere, spectaculis, & similibus rebus operã dare ijsdem prohibitũ esse, ex prædictis possumus inferre cum Gonzalez in *cap cum Decorem* 12. *de Vitâ, & Honest. Clericorum sub num* 8

Quamobrẽ, cum Capitulum Ecclesiæ Cathedralis Vercellensis reprehesentasset Sacræ Congregationi Concilij, quod duo ex Presbyteris Beneficiatis, qui obligati erant eidem Ecclesiæ in servi-

servire cum cantu Gregoriano, in diebus ferialis, & cum Figurato in diebus festivis, & solemnibus, absentes ab eâ, non solum non residebant, sed in Theatris publicis operas suas locaverant, supplicavit per eam declarari, prædictos Presbyteros non residentes ex causâ omninò illicitâ, atque Ordini Sacerdotali injuriosâ, pœnas incurrisse privationis Beneficiorum: & propositis, sub die 15. Decembris 1696. sequentibus Dubijs

I. *An esset locus privationi Beneficiorum, in casu &c. et quatenus negativè?*

II. *An, & quâ pœnâ esset procedendum contra hujusmodi Beneficiatos?*

Sacra Congregatio sub die 15. Decembris 1696. respondit.

Esse locum privationi ad formam Sacri Concilij, & Sacrorum Canonum

Deinde cum, post hæc, multi casus contigissent, in quibus, ex prædictis Beneficiatis, alij se ab Ecclesiæ servitio absentes fecerunt, iterum Capitulum Vercellense Sacram Congregationem supplicavit, pro observantiâ Statuti Capitularis, quo imponebatur ipso jure adversus eos pœna privationis, nisi causa absentiæ approbata fuisset à Capitulo; & instantibus fortiter Beneficiatis, & petentibus observari formam præscriptam a Concilio Tridentino in executionem supradictæ Declarationis factæ, sub die 15. Decembris 1696.

Et repropositio Dubio

An, & quomodo sit procedendum adversus Beneficiatos non residentes, in Casu &c.

Sacra Congregatio Concilij, sub die 1. Octobris 1720. Respondit.

Procedendum esse adversus non residentes ad tramites Concilij Tridentini: & quo ad Beneficiatos in Theatris canentes, Ordinarius, nomine Sacræ Congregationis, imponat pœnâ privationis eisdem.

ADDI-

ADDITIONUM
AD TERTIAM
SYNODUM
PARS TERTIA

Continens varias alias Constitutiones Apostolicas, Declarationes, ac Literas Sacrarum Congregationum, eodem ordine, quo supra, distributas.

AD CAPUT X.

De Sacramento Eucharistiæ.

Decretum Sacræ Congregationis Concilij.

XXV.

CUM quæsitum fuerit à Sacrâ Congregatione *in una Ferrariensi Jurium Parochialium*, inter Dubia pro habendâ resolutione proposita. *An in Ecclesia Confraternitatis, permittenda sit retentio solius Tabernaculi absque Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento?*

Sacra Congregatio sub die 16. Maij 1705. Respondit. *Negativè.*

Decretum ejusdem Sacræ Congregationis, super frequentiâ Sacræ Communionis Monialium.

XXVI.

IN quibusdam Monasterijs Monialium Civitatis Januensis, praxis invaluit, ut nulla Monialis Sacram Eucharistiam sumere valuisset, extra dies, quibus, juxta Constitutiones, omnes Moniales communicant, nisi accederet consensus Capituli Monasterij, etiamsi Communio esset Petenti permissa, aut præscripta à Confessario. Quamobrē, cum hoc diceretur in desolationem vergere nonnullarum piarum Animarum, quæ frequentiorem, & aliquando quotidianam Eucharistiæ sumptionem, ex consilio, aut præcepto Confessarij, desiderabant; fuit in supplici libello relatum Sacræ Congregationi Concilij, quæ sub die 3. Februarij 1724 rescripsit, quod observetur Decretum Anni 1679, quo à Sacrâ Congregatione Concilij, accedente approbatione Venerabilis Dei Servi Innocentij XI. sic fuit resolutum, sub die 2 Februarij, quo ad frequentiam Communionis Monialium - *Moniales, quotidie Sacram Communionem petentes, admonendæ sunt, ut diebus, ex earum Ordinis instituto, præstitutis communicent: si quæ verò puritate mentis eniteant, & fervore spiritus ita incaluerint, ut dignæ frequentiori, aut quotidianâ Sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis à Superioribus permittatur.*

Post habitam hujus Decreti notitiam, plures è Monialibus cœperunt Sacram Eucharistiam sumere, extra dies Communitati præscriptos, absque Confessarij Ordinarij, & earum Superiorissæ licentiâ. Nam, asserentibus nonnullis, nomine *Superiorum*, de quibus in Decreto Anni 1679. comprehendi debere Directores spirituales cujuscumque Monialis, eòque magis, quia meliùs his, quam ceteris, innotescere poterat puritas conscientiæ, seu fervor spiritus in dicto Decreto requisiti, pro frequentiori, vel quotidianâ Sacramentali Communione; de solo consensu suorum Directorum spiritualium communicabant, & adeò frequenter, ut nonnullæ Superiorissę, ad levandum sibi incommodum, coactæ fuerint Clavem fenestellæ, per quam Communionem recipiebant, relinquere arbitrio communicare volentium. Ex

Ex quo iterum Consulta Sacra Congregatio, & propositis sequentibus Dubijs, sub die 3. Februarij 1725. resolvendis,

I. *An, & de cujus licentiâ, Sacram Eucharistiam recipere debeant Moniales, quæ eam recipere volunt, ultra dies statutos a Constitutionibus, vel à consuetudine Monasterij, ut in illis omnes Moniales communicent?*

II. *Quomodo se gerere debeat Superiorissa Monasterij, circa retentionem Clavis parvæ fenestræ, per quam sumitur à Monialibus Eucharistia, in Casu &c.*

Sacra Congregatio, sub die 14. Aprilis ejusdem Anni Respondit.

Ad I de licentiâ Confessarij Ordinarij, & non Directorum, prævia participatione Prælati Ordinarij.

Ad II. Servandum esse Decretum Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium. Die 17. Septembris 1617.

Quo Decreto Anni 1617. resolutum fuit à Sacrâ Congregatione Episcoporum, & Regularium, quod adessent duę Januæ hujus parvæ fenestræ, una interior, & alia exterior; & quod Clavis Januæ interioris semper retineretur ab Abbatissâ, seu Priorissâ, & Clavis Januæ exterioris à Confessario; & quod dicta parva fenestra numquam aperiretur, nisi occasione sumptionis Eucharistiæ.

DECRETUM HONORIJ TERTIJ

In Cap Sane X. de Celebratione Missar.
De Eucharistiâ honorificè, & fideliter conservandâ.

XXVII.

S*Anè cum olim &c.* & infra. *Ne propter incuriam Sacerdotum Divina indignatio graviùs exardescat, districtè præcipiendo mandamus, quatenus à Sacerdotibus Eucharistia in loco singulari, mundo, & signato semper honorificè collocata, devote, ac fideliter conservetur.*

DECRETUM INNOCENTII TERTII.

In Cap. Statuimus I. de Custodiâ Chrismatis, & Eucharistiæ Quo non solum ea caute conservari præcipitur; sed pœnâ Suspensionis, qui sub clavibus fideliter custodire neglexerint, puniuntur.

XXVIII.

Statuimus, ut in cunctis Ecclesijs Chrisma, & Eucharistia, sub fideli custodiâ, clavibus adhibitis, conserventur, ne possit ad illa temeraria manus extendi ad aliqua horribilia, vel nefaria exercenda. Si vero is, ad quem spectat custodia, ea incautè reliquerit, tribus mensibus ab officio suspendatur, & si per ejus incuriam, aliquod nefandum inde contigerit, graviori subjaceat ultioni.

LITERÆ CIRCULARES

Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium, quibus, de Innocentij XIII. mandato, Constitutio Innocentij III. non solum confirmatur; sed, admotis graviorum pœnarum stimulis, strictiùs præcipitur.

ORDINE

Per la custodia delle Sagre Pissidi, e de Sagri Ostensorj.

XXIX.

I Furti empj, e sagrileghi delle Sagre Pissidi, ed Ostensorj, ò colle Sagrosante Particole, ò Ostie Consegrate, ò senza di esse, i quali in alcuni luoghi sono successi, anco per la facilità, e commodo, che alle volte à i Rei somministra la somma, e colposa incuria di quelli, a'quali è commessa la custodia della Santissima Eucharistia, e de' Sacri Vasi, in cui si conserva, hanno mosso l'Apostolico Zelo della Santità di Nostro Signore Papa Innocenzo XIII. a comandare, che per mezzo della Sagra Congregazione de' Vescovi, e Regolari si scriva

la

la presente Lettera Circolare à tutti gli Ordinarj de' Luoghi, come altresì si faccia ordine espresso a' Superiori Generali de' Regolari, per l' osservanza delle infrascritte determinationi; acciò, dove è successo un tanto misfatto, si prendano le dovute precauzioni per l'avvenire, e quei Luoghi, ne' quali per la Dio grazia, non v'è accaduto, si preservino da tali sacrileghi delitti. Dovrà pertanto V. S. in esecuzione degli Ordini Pontificii con suo Editto, ò Notificazione, da affiggersi nelle Sagrestie, colle forme, ed espressioni più efficaci raccomandare, ed ordinare a' Parochi, Rettori, Sagrestani, ò ad altri, a' quali respettivamente spetta, la diligente custodia de' Sagri Tabernacoli, colla ritenzione delle chiavi appresso di sè, ò in luogo sicuro, sotto altra chiave ben custodite; talmentechè, se in avvenire succederanno simili furti senza violente frattura de' Sagri Tabernacoli, per incuria, e negligenza de' Parochi, Rettori, Sagrestani, ò d'altri come sopra, ed in specie, se avessero lasciati li Tabernacoli aperti, ò colle chiavi nell' Usciolo di essi, ò in Sagrestia, ò altro luogo, ove commodamente siano state prese da' detti sagrileghi Delinquenti, si procederà contro i Parochi, ò Rettori, ò Sagrestani, ò contro qualsivoglia altro, à cui rispettivamente spetti la custodia, anco in esecuzione del *Cap. Unico, de Custodiâ Eucharistiæ* irremissibilmente, e senz' altro Processo alla pena della Carcere, ò ad altre ancora ad arbitrio, secondo la qualità della negligenza, e colpa, colla privazione perpetua dell' Offizio di Sagrestani, e per i Regolari, anco della voce attiva, e passiva. Se poi si lasciasse per negligenza, ed incuria non ben custodita la Santissima Eucaristia, ancorchè furto, e sacrilegio alcuno non seguisse, resteranno nondimeno i Rettori, ò Parochi, ò Sagrestani, ò altri, a' quali spetta la custodia come sopra, sottoposti alla pena della sospensione dell' offizio per tre Mesi, come si prescrive nel *d. Cap Unic. de Custod. Euchar.* In oltre dovrà V S. dichiarare in detto Editto, e Notificare, che alle pene prescritte saranno soggetti i Parochi, ò i Rettori, ò Sagrestani delle Chiese, ò chiunque siasi Custode della Santissima Eucaristia, ancorchè da altro Sacerdote (contro il quale si dovrà procedere alle medesime pene) si lasciassero i Santi Tabernacoli aperti, ò le chiavi di essi in luogo non sicuro, appartenendo alli

alli ſteſsi Parochi, Sagreſtani, ò ad altri Cuſtodi la diligente cuſtodia della Santiſſima Eucariſtia, e de' Santi Vaſi, ed eſsi devono nel fine de' Divini Offizj invigilare, che reſtino ſotto la ſicura, e dovuta Cuſtodia. E colla preſente, queſta Sagra Congregazione communica à Lei le facultà neceſſarie, ed opportune, acciò poſſa procedere per le dette cauſe contro i Regolari alle pene, come ſopra, preſcritte, comulativamente però colli Superiori Regolari, a' quali anco ſi da la medeſima incombenza contro li loro Sudditi Regolari, con dar poi Ella l'avviſo di tal proceſſura ſeguita contro eſsi Sagreſtani, ò altri come ſopra à queſta Sagra Congregazione.

Roma 8. Gennaro 1724.

Quæ Nos in Cap. X. de Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento hujus Noſtræ Tertiæ Synodi obſervari mandamus. Et infra, in quartà harum Additionum parte, Edictum Nobis commiſſum, in ſingulis Sacriſtijs, etiam Regularium, ad omnium notitiam retinendùm, impreſsum dabimus.

AD CAPUT XII.

De Sacramento Pœnitentiæ.

Conſtitutio Sanctiſſimi Domini Noſtri BENEDICTI PAPÆ XIII. Super Inſtitutione Præbendæ Theologalis, & Canonici Pænitentiarij in Eccleſijs Cathedralibus, cum alijs Ordinationibus.

XXX.

BENEDICTUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI.

PAſtoralis Officij noſtri eſſe ducimus, aſsiduo, enixoque ſtudio curare, ut univerſa Sacræ Tridentinæ Synodi Decreta ubique inviolabiliter obſerventur: ſed eorum præ ceteris executionem ſtrenuè promovendam, urgendamque Nobis eſse arbitramur, ex quibus majorem in Eccleſiâ Dei utilitatem proventuram fore conſpicimus, ac eos potiſſimùm,

quo-

quorum opus in prædicatione, & doctrinâ consistere debet, ut cunctos ædificent, tam fidei scientiâ, quàm actionum disciplinâ, excitari maximè posse confidimus ad impensiùs frequentandam tantoperè necessariam Sanctarum Scripturarum lectionem, quas qui nescit, ut Beatus Hieronymus admonet, nescit Dei virtutem, ejusque sapientiam. Nam ignoratio Scripturarum, ignoratio Christi est.

Cùm itaque saluberrimo prædicti Concilij Tridentini Decreto, relato in *cap.* 1. *sess.* 5. *de Reformat.* cautum sit, ut nedum in Ecclesijs Cathedralibus, sed in Collegiatis etiam Oppidorum Insignium, in quibus Præbenda, aut Præstimonium, seù Stipendium pro Sacræ Scripturæ Lectoribus constitutum non reperitur, Præbenda quomodocumque, præterquam ex causâ resignationis, primò vacatura ipso facto, ad eum usum perpetuò constituta, ac deputata intelligatur; Et quatenus nulla, vel non sufficiens Præbenda foret, Locorum Ordinarij per assignationem fructuum alicujus simplicis Beneficij, debitis tamen ejus supportatis oneribus, vel per contributionem Beneficiatorum suarum Diœcesum, vel aliàs, prout commodius fieri poterit, ita provideant, ut ipsa Sacræ Scripturæ lectio omninò habeatur: verùm ejusmodi provida præfati Concilij dispositio in aliquibus Cathedralibus, sicut non absque gravi animi nostri dolore percepimus, huculque neglecta, debitæque executioni demandata non fuerit; Hinc igitur est, quòd Nos illius executionem, pro Pontificiæ vigilantiæ Debito, urgere intendentes, Motu proprio, ex certâ scientiâ, ac maturâ deliberatione nostri, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuò valiturâ Constitutione, sancimus, decernimus, & mandamus, ut in Cathedralibus quibuscumque Italiæ, Insularumque adjacentium, in quibus Præbenda Theologalis hactenus instituta non fuerit, Præbenda primo vacatura post ejusdem præsentis Constitutionis publicationem, sive ad Nos, Sedemque Apostolicam, sive ad Ordinarium illius collatio, atque provisio pertineat, ipso jure, & absque ullâ aliâ declaratione, sit, ac censeatur Præbenda Theologalis constituta. Volumus insuper, ut tam illa, quàm reliquæ omnes aliæ Præbendæ Theologales hactenùs constitutæ, & deputatæ conferri semper debeant Doctori in Sacrâ Theologiâ, vel qui infrà

annum

annum Doctoralem lauream in eâdem facultate suscipiat, & cœteroquin magis idoneo in formali Concursu ab Examinatororibus renunciato, eo planè modo, quo Parochiales Ecclesiæ conferuntur. Hunc porrò in finem, quotiescumque ejusmodi Præbenda Theologalis conferenda erit, per Edictum publicum vocentur quicumque concurrere, & examini sese subijcere voluerint, coram Episcopo, & quatuor Examinatóribus, etiamsi Synodales non sint, ab eodem Episcopo actu eligendis, ac deputandis, in Theologali tamen facultate Licentiatis, & valdè peritis, sive Sęcularibus, sive Regularibus, & illi, qui in ejusmodi concursu probatus, magisque idoneus renunciatus fuerit, Præbenda conferatur. Quoties autem Præbendæ collatio ad Sanctam Sedem spectabit, Episcopus ad Romanum Pontificem pro tempore existentem acta Concursus transmittere teneatur, ut ipse vacantem Præbendam illi assignare, atque conferre possit, quem ceteris digniorem, & magis idoneum in Domino judicaverit.

Quod si Episcopus primò vacaturam Præbendam contra formam in præsenti Constitutione præscriptam conferre præsumpserit, vel etiam in alijs occurrentibus casibus eamdem formam observare neglexerit; illius collatio, atque provisio, ipso jure, nulla, & irrita, nulliusque prorsus roboris, vel momenti sit, ac esse debeat, ejusdemque Præbendæ dispositio statim devolvatur, & pertineat ad Sanctam Sedem, & Romanum Pontificem pro tempore existentem, à quo Doctori in Sacrâ Theologiâ conferetur.

Ceterùm, ut fructus, quem Tridentina Synodus ex Præbendæ Theologalis institutione perceptum iri speravit, omninò re ipsâ, & cum effectu percipiatur, volumus, statuimus, & mandamus, tertiam partem proventuum dictæ Præbendę Theologalis ab Episcopo distribui, & proportionabiliter applicari singulis Lectionibus Sacræ Scripturæ, quæ à Præbendato, præscriptis diebus, & horis totius anni, habendæ erunt, itaut, si Præbendatus universas lectiones habuerit, assignatas distributiones integras, absque ulla prorsus diminutione, consequatur; Si verò in aliquâ, vel pluribus lectionibus defecerit, distributiones neglectis lectionibus respondentes amittat, quæ in Sacristiæ Ecclesiæ beneficium cedant, ac erogentur. In casu autem

autem gravioris contumaciæ Præbendati, liceat Episcopo deputare alium Theologum Sacerdotem Secularem, vel Regularem, qui jugiter supplendo ejusdem Præbendati vices, præfatis Distributionibus potiatur.

Quoniam verò nonnulli Episcopi, ficut accepimus, ut propriæ incuriæ aliquod velamen obtendant, dilatæ Erectionis ejusmodi Præbendæ Theologalis causam in tenuitatem, ac insufficientiam Præbendarum suarum Ecclesiarū rejicere solent; Nos omnem de cetero prætextum, sive excusationem è medio tollere, ac penitùs eliminare volentes, motu, scientiâ, ac potestatis plenitudine similibus decernimus, statuimus, atque præcipimus, quod ubi Præbenda Theologalis, computatis etiam distributionibus quotidianis, ad annuū saltem redditum scutorum sexaginta monetæ Romanæ non ascendat, pro summâ ad hanc Taxam conficiendam deficiente, iidem Episcopi unire possint, & debeant eidem Præbendæ aliquod simplex Beneficium, cujus supplemento prædicta summa conficiatur, primò vacaturum in quocumque mense, & qualitercumque, ac quomodocumque Sedi Apostolicæ affectum, & reservatum, ita tamen, ut à tali unione illa omnia Beneficia, quæ pro Sanctæ Romanæ Ecclesię Cardinalibus, Papæ Familiaribus, Nunciis Apostolicis, atque Prælatis Congregationum, quibus iidem S. R. E. Cardinales intersunt, Secretariis in aliâ Constitutione ad promovendam Seminariorum erectionem novissimè per Nos conditâ peculiariter reservavimus, perpetuò reservata, & excepta sint, ac esse intelligantur, & quiquid secus fieri contingeret, ex nunc prorsùs irritum, ac inane, nulliusque roboris, vel momenti esse, ac fore decernimus, & declaramus.

Postremò quæcumque hactenùs de Prębendâ Theologali, & Sacræ Scripturę lectione sancivimus, extendimus etiam, ac ad amussim observari volumus, & mandamus (congrua tamen congruis referendo) quoad institutionem Canonici Pœnitentiarij in illis Cathedralibus, in quibus nondum fuerit institutus, ejusque honestam substentationem, concursum, deputationem, omniaque alia ad illius officium pertinentia: & præter illa, quæ à Nobis superius disposita sunt, ea insuper, quæ Tridentina Synodus *cap.* 8. *sess.* 24 *de Refor.* de hujus Ministri qualitate, ætate, ac exemptione à servitio Chori constituit,

exactè observari decernimus, præcipimus, & mandamus.

Decernimus etiam pręsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, & integros, effectus sortiri, ac obtinere, necnon præmissa omnia, & singula in illis contenta per eos, ad quos spectat, & in futurum quomodolibet spectabit, perpetuò inviolabiliter observari; Sicque, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiã causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & alios quoslibet quacumque potestate fungentes, & functuros, sublatâ eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, ac authoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quidquid secus super his à quoquam, quavis authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, quatenus opus sit, nostris, & Cancellariæ Apostolicæ Regulis quibuscumque, alijsque Apostolicis, etiã in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Concilijs ad favorem quarumcumque personarum editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus; necnon quorumvis Ordinum, Congregationum, Societatum, ac Institutorum, alijsve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis Statutis, consuetudinibus etiam immemorabilibus: Privilegijs quoque, Indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis, & quibusvis alijs sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibus, & alijs decretis, vel aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorũ sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, ac de verbo, ad verbũ, non autẽ per clausulas generales idem importantes, mentio, seù quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbũ insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxàt specialiter, & expressè derogamus, ceterisque contrarijs quibuscumque. Ut

Ut autem præsentes Literæ ad omnium notitiam faciliùs deveniant, & nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, seù earum exempla ad Valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigi, & publicari, sicque publicatas, & affixas, omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perindè arctare, & afficere, ac si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent: utque earumdē præsentium Literarum transumptis, seù exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarij publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis, eadem ubique fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitę, vel ostensæ.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ sanctionis, institutionis, pręcepti, voluntatis, mandati, decreti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo quinto, decimo quarto Kalendas Junij, Pontificatus nostri anno primo.

Decretum Sacræ Congregationis Concilij, quoad facultatem, quam habet Canonicus Pænitentiarius absolvendi Pœnitentes.

XXXI.

Cum Canonicus Pœnitentiarius habeat a jure, absque aliâ, Episcopi approbatione, statim, ac Præbendam Pœnitentialem obtinuit, facultatem audiendi confessiones Pœnitentiū, & sit veluti Parochus totius Diœcesis, ex Declaratione quoque Sacræ Congregationis, quę interrogata; *An, si quis confessus fuerit sua peccata semel in Paschate Pænitentiario deputato in vim Decreti Concilij Tridentini, sess. 24 cap. 8. dicatur satisfecisse præcepto contento in cap. Omnis utriusque de Pænit. & Remiss. censuit. satisfecisse*, penes Pyrrhum Corradum *Prax. Benef.*

Benef. lib. 2. *cap.* 4. *num.* 106.; quæsitum fuit, an haberet etiam facultatem absolvendi a casibus reservatis Episcopo? & propositis Sacræ Congregationi Concilij, *in unâ Detchonen.* 6. Julij 1647. his Dubijs,

I. *An Canonicus Pœnitentiarius Ecclesiæ Cathedralis, possit absolvere a Censuris, & a casibus, tam a Jure Episcopo reservatis, quam ab illis, quos Episcopus reservavit?*

II. *An Pœnitentiarius dispensare possit tempore Quadragesimæ super esu ciborum prohibitorum cum Infirmis, & cum alijs habentibus attestationem Medicorum, absque speciali delegatione ab Episcopo concedendâ?*

III. *An Pœnitentiarius facultatem, quam habet absolvendi Pœnitentes a casibus sibi concessis, possit alteri Confessario delegare, qui absolvat, prout idem Pœnitentiarius?*

IV. *An Pœnitentiarius possit absolvere Pœnitentes a Censuris, sibi concessis, non auditâ integrâ Confessione Sacramentali, sed tantummodo ab ipsis casibus reservatis, & pro alijs Pœnitentes remittere ad alium Confessarium?*

Sacra Congregatio ad singula supradicta Dubia - Respondit *Negativè* lib. 18. Decret pag. 349.

Aliam similem Declarationē Sacræ Congregationis videlicet - *Pœnitentiarius non potest absolvere quemquam a casibus, quos Episcopus expresse sibi reservavit, nisi ipsemet Episcopus hanc illi specialem dederit facultatem* - afferunt Garz. *de Benefic. par.* 5. *cap.* 4. *num.* 115. Pyrr. Corrad. *d. cap.* 4. *n.* 106.

Monita Eminentiss. Cardinalium Generalium Inquisitorum, quibus, ad Mentem SS Domini Nostri Benedicti XIII. regula in Processibus Solicitationum, ad integrum servandum Sigillum Sacramentale, ex quacumque causâ inviolabile, habenda præscribitur.

MOLT' ILLUSTRE, E REVERENDISSIMO SIGNOR
COME FRATELLO.

XXXII.

LA Santità di Nostro Signore, e questi miei Eminentissimi Colleghi Generali Inquisitori considerando, che i Rei

di

di Sollecitazione nelle Sacramentali Confessioni facilmente possono incorrere, ò nelle spontanee Comparse, ò ne i Costituti, nella rivelazione delle Confessioni Sacramentali, senza fare riflessione alla Violazione del Sigillo Sacramentale, che è de Jure Divino, e indispensabile per qualsisia gravissima Causa anco di Eresia, hanno perciò stimato espediente di rinovare à cautela gli avvertimenti altre volte dati, si a V. S. che à tutti gl'altri Vescovi, e Inquisitori d'Italia, acciò nelli Processi di Sollecitazioni nelle Sacramentali Confessioni li pretesi Rei Sollecitanti, ò sia nelle Spontanee Comparse, ò nei Costituti, non rivelino, anco innocentemente, le Confessioni, con dire - *Confessandosi da Me la tale di pensieri, ò atti disonesti, le dissi &c.*; Ma, procedendo V. S. colla solita sua attenzione, ammonirà li Sponte Comparenti, ò Rei Costituti à non deporre cosa alcuna, che concerna il Sigillo delle Sacramentali Confessioni de' Penitenti, mà di riferire solamente ciò, che riguarda il detto, ò fatto di essi Sollecitanti, in occasione di avere amministrato il Sacramento della Penitenza, ò immediatamente avanti, ò dopo, ò nel Confessionario, e sotto pretesto di Confessione, e perciò dovranno semplicemente i Sollecitanti deporre - *Confessandosi da mè N. N., le dissi &c ò feci &c.* senza dire altro in ordine alla Confessione de' Penitenti; e se cadessero nel detto errore di rivelare le Confessioni, non si dovrà la loro deposizone in questa parte scrivere in Processo, è se mai per inavvertenza di qualche Ministro, che acremente correggerà, si trovasse scritta in qualche Processo, si dovranno cassare dalli Processi originali tutte quelle Circostanze, che riguardano la detta rivelazione di Confessioni Sagramentali. Così colla sua solita attenzione dovrà V. S. regolarsi, e il presente avvertimento communicherà à tutti i suoi Vicarj, che hanno facoltà di far Processi in materia di Fede, acciò colla dovuta attenzione invigilino all' Esecuzione del presente ordine, e le auguro felicità.

Roma 23. Marzo 1726.

Di V. S.

Come Fratello Affezionatiss.
F. Card. Paulucci.

Litera

Literæ Sacræ Congregationis S. Officij, pro faciliori modo Denunciationes obtinendi, prudenter tamen, & parcè adhibendo.

MOLT' ILLUSTRE, E REVERENDISSIMO SIGNOR COME FRATELLO.

QUesta Sacra Congregazione del Santo Offizio con sue Circolari de' 27 Settembre 1624., e 24. Gennajo 1667. che si conserveranno in cotesta sua Cancelleria, ha già conceduta a' Vescovi, ed Inquisitori la facoltà, in materia di Sollecitazione, di delegare in casi particolari li Confessori, quando le Persone sollecitate non possano disporsi a denunciare nella forma giuridica ordinaria, per ricevere anco senza Notaro le Denuncie, con instruirli del modo di ben riceverle, e darli il giuramento, *de silentio servando, & fideliter munus sibi commissum exercendo*. Ora Sua Santità, udito il Voto di questi Eminentissimi Colleghi, ha confermate, e nuovamente concedute a' Vescovi, ed Inquisitori le predette facoltà di delegare, come sopra, qualsisia Sacerdote approvato per le Confessioni Sagramentali; ma V. S. di dette facoltà parcamente, e dopo aver procurato, che le Donne sollecitate denuncino nella forma giuridica ordinaria, si prevalerà; e Dio la conservi. Roma 7. Luglio 1725.

Come Fratello Affezionatissimo
F. Card. Paulucci.

Responsum Sacræ Congr. Concilij, ad dubium Administrationis Sacramenti Pœnitentiæ eidem propositum.

XXXIII.

PResbyter Capellanus Navalis, facultate communitus excipiendi Confessiones intra Navigium tantum, naufragio jactatus, ad quamdam Insulam ex Orientalibus Armeniæ oris appellere coactus fuit. Hic deficientibus Missionarijs, nulloque

loque exiſtente Epiſcopo, a quo poſſet approbationem habere, unius, aut plurium quot Parochialium Eccleſiarum Curam ſuſcipiens, per biennium, aut triennium, non ſolum tempore Paſchatis, verum etiam reliquis Anni temporibus Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtravit, quod etiam, accedentibus Miſſionarijs, adminiſtrare continuavit.

Alius Presbyter Veneten., dubitans de facultatibus prædicti Capellani, recurſum habuit ad Sacrã Congr. de Propagandâ Fide: ſed ab eâ ad Sacram Congreg. Concil. remiſſus reverenter ſupplicavit declarari,

I. *An præfatus Capellanus valide adminiſtraverit Sacramentum Pænitentiæ, abſentibus Miſſionarijs?*

II. *An pariter idem Sacramentum adminiſtrare potuerit, & in futurum valeat, præſentibus Miſſionarijs?*

Et Sacra Congreg. Concilij, ſub 21. Maij 1707. *in Veneten. Dubium Adminiſtrationis Sacramenti Pænitentiæ* - Reſpondit.

Ad Primum - *Affirmativè.*

Ad Secundum - *Negativè.*

AD CAPUT XIV.

De Sacramento Ordinis.

Decretum Sacræ Congregationis Concilij, ſuper obſervantiâ Decreti Clementis VIII in concedendis Literis Dimiſſorialibus, Regularibus Ordinandis. Quod Decretũ habetur in 2. part. Addit Noſtræ Primæ Synod. Piſ. ad hoc idem Caput XIV. de Sacramento Ordinis.

XXXIV.

CUm in Sacrâ Congregatione Concilij, reclamante Epiſcopo Caputaquen., ſub die 11. Februarij 1708. fuerint propoſita reſolvenda hæc Dubia,

I. *An Monachi N N Diœceſis Caputaquen. promoti ad Ordines, tam Sacros, quam minores ab Epiſcopo Policaſtren., & Marſicen. ſint licitè ordinati? & quatenus negativè;*

II. *An, & quas pœnas incurrerint ipſimet Ordinati, & eorum Superiores, in Caſu &c.* Sacra

Sacra Congregatio - Respondit.

Ad I. *Negativè*.

Ad II. *Superiores incurisse pœnas contentas in Decreto S. M. Clementis VIII. ex gratia absolvendos*.

Quemadmodum prædictum Decretum ad unguem per Superiores servari mandavit SS. Dominus Noster Benedictus XIII. in Concil Rom. *Tit.* 21 *cap.* 2. nec non Dispensationes Apostolicas per Datariam, sive per Brevium Secreteriam, sive alio quocumque modo expeditas, quod a quocumque maluerint Catholico Episcopo promoveri valeant Regulares, ita semper intelligi debere, non nisi cum clausulâ, *servatâ forma Decreti Clemen. VIII.* concessas fuisse, nec aliter ab Episcopis promoventibus executioni demandandas esse, declaravit *Conc. Ro. Tit.* 5. *p.* 1.

Decretum Sacræ Congregationis Concilij, de necessitate juramenti, ad probandum animum eligendi Domicilium ultra decennalem habitationem, & translationem majoris partis Bonorum ad tramites Constitutionis Speculatores *Innoc. XII.*

XXXV.

Cum juxta Constitutionem *Speculatores* Innoc. XII ad effectum contrahendi domicilij, pro suscipiendis Ordinibus, non sufficiat decennalis cohabitatio, & translatio majoris partis Bonorum unâ cum instructis Ædibus, quæ satis essent de jure communi, sed requiratur etiam juramentum indicativum animum verè domicilium contrahendi; *dicta Constitut.* §. *Subditus - & nihilominus ulterius utroque casu se verè, & realiter animum hujusmodi habere jure jurando affirmet* - Franciscus Grassi, ex Patre Diœcesis Vigentinæ, & Matre Hydruntinâ, translatus cum Matre, & totâ Familiâ in infantili ætate ad civitatem Hydruntinam, in quâ fuerat ipse Civitate largitus, honores, & onera sufferebat, Bona, quæ habebat in Diœcesi Vigentinâ, distracta fuerant, Romæ studiorum causâ degens, recursum habuit ad Sacram Congregationem Concilij, pro obtinendâ expeditione literarum Dimissorialium, ad effectum, ut in Urbe Ordines recipere posset. Sed opponente Capitulo Vigentino, prædictum Franciscum Originarium esse Episcopi Vigentini, & ab eo recepisse primam Ton-

Tonfuram, fuit in Sacrâ Congregatione Concilij, propofitum Dubium:

An Clericus Francifcus Grafsi, fit promovendus ad Ordines, cum Literis Dimifforialibus Archiepifcopi Hydruntini, vel Epifcopi Vigentini, in Cafu &c

Et Sacra Congregatio, fub die 1. Aprilis 1719 Refpondit. *Affirmativè, quo ad primam partem Dubij, præftito juramento ad tramites Bullæ, & ad fecundam partem, Negativè.*

Decretum Sacræ Congregationis Concilij, Quoad Canonici Coadjutoris Ordinationem.

XXXVI.

Cum Canonicus Coadjutor, dum vivit Canonicus Coadjutus, dici non poffit Beneficiatus, quia Coadjutoria non eft Beneficium, & Coadjutor dicitur ficte Canonicus *Gonz. ad Regul.* 8. *Cancell. Glof.* 5. § 9 *n.* 117. *ventrig. Prax. Rer. Ecclef. par.* 2. *Annot.* 13. §. *unico num.* 37. *Piring ad lib.* 1. *Decret. tit. de temp. Ord. Sect.* 1. §. 4. *n.* 69., dubitatum fuit, an obtines Coadjutoriam cum futurâ fucceffione, & affignatione congruæ ad victum honeftè fufficientis, poffit promoveri, faltem ad titulum penfionis, quod videtur admittere *Concil. Trid Seff.* 21. *de Refor. cap.* 2. etiamfi effet alienæ Diœcefis, fine literis Dimifforialibus Epifcopi fuæ originis, ratione Domicilij, quod habitâ poffeffione Coadjutoriæ perpetuæ, animum etiam perpetuo ibi cohabitandi monftravit. Quamobrem propofito Dubio *in Elboren. Dubiorum*, Sacræ Congr. Concilij fub die 2. Augufti 1721.

I. *An Coadjutor cujufdam Canonicatus cum futurâ fucceffione, & affignatâ Congruâ, alias exterus, eo ipfo dici poffet fubjectus Capitulo Elborenfi, ad effectum fufcipiendi Ordines, abfque aliâ Dimifforiâ Epifcopi fuæ originis?*

II *An fupradictâ Coadjutoria fufficiat faltem, ut talis Coadjutor dicatur habere domicilium requifitum a Conftitutione S. M. Innocentij XXII. incipiente* Speculatores, *ad effectum fufcipiendi Ordines, ex eo, quod ex poffeffione talis Coadjutoriæ perpetuæ, videtur fufficienter demonftratus animus perpetuo permanendi?*

Sacra Congreg. sub die 23. ejusdem Mensis Augusti 1721. respondit.

Ad Primum *Affirmativè*.

Ad Secundum, *Satis provisum in primo*.

AD CAPUT XV.

De Sacramento Matrimonij.

An Vitricus, absque ullo impedimento publicæ honestatis, vel Affinitatis, uxorem ducere possit eam, quæ fuit conjux Privigni sui jam defuncti.

XXXVII.

Dubium hoc, cum apud Authores non ita facile reperiatur examinatum, nec Canones apud eos illud resolventes allegentur, excitatâ occasione illud examinandi in Diœcesi Bojanensi a Dominico Marzillo, intendente contrahere Matrimonium cum Samaritanâ, quæ fuerat Uxor Marci Antonij Bui Privigni jam defuncti, ab Episcopo Bojanensi fuit propositum pro resolutione habenda Sacræ Congregationi Concilij, quæ, licet opponeretur textus in *l. Uxorem* 15. *ff. de rit. Nupt.* in qua responsum habetur Papiniani, *ex lib* 4. *responsorum*, *Uxorem quondam Privigni conjungi Matrimonio Vitrici non oportere*, attamen cum fuerit hic reprobatus ex posteriori Constitut. *cap. non debet de Consang & Affin.* quemadmodum firmat Cujacius *ad Tit.* 14. *de Consang. & Affin Oper. Posthum. Tom.* 3. & repetit in *Comment. ad d. L. Uxorem*, Sacra Congregatio, auditis quatuor Theologis, quibus demandatum fuerat, articulum examinare; audito duplici voto Secretarij, docto, & erudito calamo, utroque extenso, propositoque Dubio *in Bojanensi Matrimonij*, sub die 8 Martij 1721.

An Matrimonium contrahi possit inter Dominicum, & Samaritanam, in Casu &c.

Sacra Congregatio - Respondit.

Ad D. Secretarium, juxta mentem, & mens est, quod non impediatur Matrimonium.

Decre-

Decretum Sacræ Congregationis Concilij, Quoad Denunciationes a Parocho faciendas.

XXXVIII.

CUm, in unâ ex Ecclesijs Collegiatis Diœcesis Novariensis, exorta fuisset contentio inter Præpositum, & Canonicos, contendente Præposito, sibi licere Denunciationes, ceterasque functiones Parochiales explere in celebratione Missæ Conventualis, & sustinentibus e contra Canonicis, prædicta esse peragenda in celebratione Missæ Parochialis, habitus fuit recursus ad Sacr. Congreg. Concilij, sub die 10. Junij 1714. & propositis Dubijs.

I *An Denunciationes Matrimoniorum, & Ordinandorum, aliæque similes functiones Parochiales, faciendæ sint in celebratione Missæ Parochialis, quæ celebratur in Parochiali, & Collegiatâ Burgi Moverij, seu potius, liceat Præposito, & Parocho ejusdem Collegiatæ, illas facere in celebratione Missæ Conventualis, contradicente Capitulo, in Casu &c.*

II. *An liceat eidem Præposito, & Parocho habere conciones ad Populum, in diebus Dominicis, & Festivis, inter celebrationem dictæ Missæ Conventualis, absque consensu Capituli, in Casu &c.*

Sacra Congregatio, sub die 8. Julij 1724. Respondit.

Ad primum; *Arbitrio Parochi.*

Ad secundum; *Affirmativè, dummodo fiant ex suggestu, & non excedant medietatem horæ.*

AD CAPUT XVII.

De Festorum Observatione.

XXXIX.

APud Ripanos introductus usus erat mercatum habendi, in die Sabbathi, etiamsi incideret in eum dies festivus. Quamobrem, cum Episcopus, ejus Edicto super observantiâ dierum festorum, hoc inhibuisset, mandans, quod, in his casibus, ad dies antecedentem, vel subsequentem non festivos,

Mercatum transferrent, allegantes Ripani consuetudinem immemorabilem, obtinuerunt ab A. C. Monitorium super manutentione. Sed, Decreto Auditoris Sanctissimi, remissâ causâ ad Sacr. Congreg. Concilij, fuit concordatum Dubium.

An liceat Communitati, & Hominibus Ripæ, habere Mercatum die Sabbathi intus, vel extra Civitatem, quandò occurrat, quod sit Dies festivus, in Casu &c.

Sacra Congregatio, sub die 2. Maij 1711. Respondit *Negativè, & amplius.*

AD CAPUT XVIII.

De Indulgentijs.

Indulgentiæ perpetuæ, pro Orantibus, ad pulsum Salutationis Angelicæ, concessæ à SS. Domino Nostro Benedicto XIII. Ut in sequenti ejus Brevi, quod, in dicto Cap. de Indulgentijs *in his Additionibus apponere promisimus.*

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

XL.

INjunctæ Nobis divinitùs Apostolicæ servitutis ratio postulat, ut cœlestium munerum thesauros dispensationi nostræ à Domino creditos fideliter erogemus, cum id, ad augendam in Terris Beatissimæ, atque Augustissimæ Cœli Reginæ Virginis Deiparæ Mariæ Patronæ, & Advocatæ nostræ venerationem, excitandamque, & confovendam ergà illam Fidelium devotionem, ac ad animarum salutem, speramus in Domino profuturum. Itaque de Omnipotentis Dei misericordiâ, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus authoritate confisi; Omnibus, & singulis Christifidelibus verè pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui manè, aut meridiè, seu vesperè ad pulsum Campanæ *Angelus Domini nunciavit Mariæ, & concepit de Spiritu Sancto: Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundùm verbum tuum: Et verbum caro factum est,* &

& habitavit in nobis, cum tribus Ave Maria flexis genibus devotè recitaverint, & pro Christianorum Principum concordiâ, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam in uno die cujuslibet mensis dumtaxàt, per unumquemque Christifidelem ad sui libitum eligendo, lucrifaciendam, omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus: In reliquis verò anni diebus iisdem Christifidelibus verè contritis, quotiès id egerint, centum dies de injunctis eis, seù aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis in formâ Ecclesiæ consuetâ relaxamus: Præsentibus, perpetuis futuris temporibus, valituris. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutę munitis, eadem prorsùs fides ubique habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Anulo Piscatoris die xiv. Septemb. 1724. Pontificatus Nostri Anno primo.

F. Card. Oliverius.

Volgarizzamento del sopraddetto Breve.

L'Obbligo della servitù Apostolica divinamente impostoci richiede, che fedelmente dispensiamo i Tesori de' doni Celesti a Noi dal Signore affidati, allorchè speriamo, che ciò sia per accrescere la Venerazione nel Mondo della Beatissima, e Augustissima Regina del Cielo Nostra Avvocata, e per isvegliare, e fomentare la devozione de' Fedeli verso di Lei, o per giovare alla salute delle Anime. Confidati per tanto nella Misericordia di Dio, e de' suoi Apostoli Pietro, e Paolo; A tutti, e ciascheduni Cristiani veramente pentiti, confessati, e comunicati, i quali, ò sul fare del giorno, o sul mezzo dì, o sulla sera al tocco delle Campane reciteranno divotamente inginocchioni *l'Angelus Domini nunciavit Mariæ, & concepit de Spiritu Sancto: Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum*

tuum:

tuum: *Et verbum caro factum est*, *& habitavit in nobis*, con tre Ave Maria, e pregheranno di cuore per la concordia de' Principi Cristiani, per l'estirpazione dell' Eresie, e per l'esaltazione di S. Madre Chiesa, concediamo Indulgenza Plenaria, e remissione de' peccati in un giorno di ciascun Mese, da potersi eleggere a lor piacimento: Negli altri giorni dell' Anno poi ogni volta, che ciascuno de' Fedeli solamente contrito pregherà nel modo, e forma, che sopra, rilassiamo *toties quoties* cento giorni delle penitenze a loro ingiunte, o pure in qualsivoglia altro modo dovute, secondo il costume di S. Chiesa &c. Volendo, che il presente Breve vaglia in perpetuo, e alle di lui Copie, o stampate, o pure semplicemente soscritte da qualche Notajo publico, e sigillate col Sigillo da qualche Persona costituita in Dignità Ecclesiastica, si presti l'istessa Fede, che si presterebbe a queste medesime, &c.

AD CAPUT XIX.

De Sacrosanctis Ecclesijs.

Constitutio Sanctiss. Domini Nostri BENEDICTI PAPÆ XIII. Qua sanctæ memoriæ Gregorij Papæ XIV Literæ Apostolicæ certa excipientes delicta, & casus, in quibus Inquisiti Laici Ecclesiasticâ Immunitate gaudere non debent, confirmantur, declarantur, et ad alia etiā delicta, & casus extenduntur, ac ampliantur: Necnon Curijs Ecclesiasticis forma, in eorumdem Inquisitorum extractione à locis immunibus observanda, præscribitur, cum alijs ordinationibus, & clausulis, ac derogationibus opportunis.

BENDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

XLI

EX quo, divinâ disponente clementiâ, ad supremum universi Christiani populi regimen assumpti fuimus, consideran-

derantes debitum, quo obstringebamur, Ecclesiarum, Sacrorumque Locorum Immunitatem sacram tectam, inviolatamque ubique custodiendi, inter graviores suscepti Apostolici Ministerij curas meritò recenseri: diù, multumque rationes, ac media Nobiscum expendere non omisimus, quibus ipsa Immunitas in pristinum venerationis, & reverentiæ locum restitui posset, ac in omnibus Orbis Catholici regionibus ita observaretur, quemadmodùm prisca illa Majorum Nostrorum disciplina, & vetus Canonicarum Sanctionum norma præscripsit. Dum hæc, solicito animo, revolveremus, in oculos primùm incurrit celebris illa Constitutio à fel. rec. Gregorio Papa XIV Prædecessore nostro edita, quæ incipit - *Cum alias* - qua quidem Constitutione idem Gregorius Prædecessor, pro Pastorali zelo suo, hunc ipsum in scopum intendens, facultates, & Indulta à quibusdam Romanis Pontificibus, ac præsertim à S. Pio V, & Sixto etiam V., Prædecessoribus itidẽ nostris, tunc temporis, concessa aliquibus Principibus, eorumque Officialibus, & Magistratibus extrahendi, ac abducendi ab Ecclesijs, alijsque locis immunibus certorum criminum reos, & delinquentes, reformavit, moderatusque fuit; Simul autem delictorum frequentiæ, unde publica tranquillitas maximè perturbatur, occurrere volens, ac impedire, quantum licebat, ne aliqua graviora à pravis hominibus patrarentur, sub certâ impunitatis spe, quam ex confugio ad loca immunia sibi parabant, nonnulla expressit, & explicavit crimina, & casus, in quibus Laicos delinquentes Ecclesiasticâ Immunitate nequaquam gaudere voluit, & decrevit; ac insuper Judices constituit, qui in occurrentibus casibus, an delictum esset, nec ne in eàdem Gregorianâ Constitutione exceptum, cognoscere, & declarare deberent; certamque demum formam, in extractione prædictorum Delinquentium à locis immunibus, observandam stabilivit, & inviolabilitèr, ab omnibus perpetuò observari mandavit, quemadmodùm in prædictâ Constitutione anno Incarnationis Dominicæ 1591. nono Kalend. Junij promulgatâ uberiùs continetur.

Quoniam verò, post editam hujusmodi Constitutionem, ob varias Doctorum eam interpretantium sententias, & variam itidem Curiarum Ecclesiasticarum in illius executione praxim,

multi-

multiplices contentiones super vero, rectoque ejus sensu, inter Ecclesiastica, & Secularia Tribunalia, exortæ fuerunt; quamplures Romani Pontifices, ac præsertim piæ memoriæ Clemens IX., Clemens X., & Clemens XI. Prædecessores similiter nostri, de præfatis contentionibus dilucidâ casuum exceptorum explicatione submovendis, non semel, sicut accepimus, deliberarunt, facilioremque insuper eos probandi, & declarandi methodum, ut ejusdem Gregorij Prædecessoris mens pleniùs executioni demandaretur, Curijs Ecclesiasticis præscribere cogitabant; sed ab alijs distracti curis, ac interim morte præventi, destinata perficere nequiverunt. Hinc igitur est, quod Nos omninò expedire arbitrantes, ut ejusmodi controversijs finis aliquando imponatur, eorumdemque Prædecessorum pio, atque salubri proposito inhærentes, Motu proprio, ex certâ scientiâ, ac maturâ deliberatione nostri, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuò valiturâ Constitutione, in primis providam memorati Gregorij Prædecessoris Constitutionem, cum omnibus, & singulis in eâ contentis, atque dispositis, amplissimè confirmamus, approbamus, & innovamus, & quatenùs opus sit, criminum in illâ exceptorum reis, & delinquentibus Immunitatem Ecclesiasticam suffragari nequaquam debere iterum, ac de novo decernimus, & declaramus. Prætereà, non absque gravi animi Nostri dolore animadvertentes, ob auctam, atque in dies invalescentem perversorum hominum malitiam, sæpè, ac sæpiùs nonnulla alia gravia crimina perpetrari, quæ non minùs, quàm illa in Gregorianâ Constitutione, ut præfertur, excepta, publicam quietem perturbant, proinde ad delinquentium audaciam, ac ejusmodi delictorum frequentiam, quantùm fieri poterit, coercendam, pro Apostolici muneris nostri debito, ea, quæ inferiùs explicabuntur, statuenda censuimus.

Cum itaque prædictâ Gregorianâ Constitutione cautum sit, ut publicis Latronibus, viarumque Grassatoribus, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, aut viatores ex insidijs aggrediuntur, Immunitas Ecclesiastica minimè suffragetur; non levis autem inter Doctores emerserit controversia, an quis, ex unico actu, publicus Latro, & Grassator dici possit, vel plures ad id actus requirantur: Nos ejusmodi controver-

siam

fiam dirimere intendentes, unicam tantùm grassationem in viâ publicâ, aut vicinali admissam sufficere, ad hoc, ut quis publicus Latro, & Grassator dici valeat, dummodò tamen grassati mors, aut membrorum mutilatio secuta fuerit, tenore præsentium definimus, & declaramus.

Insuper ab Ecclesiasticæ Immunitatis beneficio excludimus, atque repellimus, & pro exclusis, atque repulsis haberi volumus nedum eos, qui homicidia, aut mutilationes membrorum in Ecclesijs, earumve Cœmeteriis committere audent, quemadmodum in Gregorianâ Constitutione sancitum est: verùm etiam eos, qui stantes in Ecclesiâ, vel Cœmeterio, interficiunt Stantes extra Ecclesiam, vel Cœmeterium, aut ipsis membrum mutilant: Necnon eos, qui stantes extra Ecclesiam, aut Cœmeterium, occidunt Stantes intrà Ecclesiam, vel Cœmeterium, aut ijs membrum mutilant: ac eos tandem, qui Confugientibus vim inferunt, atque ipsos, ab Ecclesiâ, aliove loco immuni violenter extrahunt, & abducunt: Declarantes in quatuor præmissis casibus ejusmodi Reos, non illius tantùm Ecclesiæ, quam violarunt, sed cujuscumque etiam alterius Ecclesiæ Immunitate gaudere nequaquam posse, aut debere.

Ad hęc in crimine Assassinij non modò Mandatarios, qui in ipsâmet Gregorianâ Constitutione apertè excipiuntur, sed etiã Mandantes, qui certum præmium, aut mercedem, sive in pecuniâ, sive in aliis rebus, tradiderint, aut promiserint, quamvis promissio nullum habuerit effectum, dummodò Assassinium re ipsâ patratum fuerit, ab Ecclesiasticæ Immunitatis beneficio excludimus, ac pro exclusis perpetuò haberi volumus, & mandamus.

Excludimus pariter, repellimus, atque privamus ejusdem Immunitatis privilegio Interficientes Proximum suum animo præmeditato, ac deliberato: Falsificantes Literas Apostolicas: Ministros Montis Pietatis, vel alterius publici Telonii, aut Banci, pro depositis Principis, privatarumque personarum destinati, furtum, aut falsitatem in prædictis locis committentes, cujus ratione Arca pecuniaria ita minuatur, ut pœna ordinariæ locus sit: Conflantes, adulterantes, vel tondentes quascumque Monetas aureas, vel argenteas, etiam Principum extero-

terorum, quotiescumque in loco, aut provinciâ, ubi crimen admittitur, liberum habeant usum, & commercium: vel ipsas monetas conflatas, adulteratas, aut detonsas scientèr ita expendere, & erogare præsumentes, ut fraudis conscii, atque participes censeri possint: illos demùm, qui, sub nomine Curiæ, sese introducunt in alienas domos, animo ibidem perpetrandi rapinas, easque re ipsâ committunt, cum homicidio, aut mutilatione membrorũ alicujus ex domesticis earumdem ædiũ, vel etiã extranei, quem ibi fortè repetiri contigerit, dummodò homicidium, vel membrorum mutilatio sequatur.

Ceterũ, cum diuturnâ experientiâ compertum fuerit, Curias Ecclesiasticas in casibus, qui hactenùs evenerunt, difficultèr probare, & consequentèr declarare potuisse delictum, pro quo quis ad Ecclesiam confugerat, fuisse comprehensum in numero exceptorum, propter variam earumdem Curiarum praxim, & varias pariter opiniones Doctorum, qui antedicti Gregorij Prædecessoris mentem, quoad normam ab ipso præscriptam recipiendi probationes, & procedendi ad declarationem criminum exceptorum, interpretari voluerunt: statuimus, præcipimus, & mandamus, nullam in hoc de cetero haberi rationem cujuscumque interpretationis ejusdem Gregorianæ Constitutionis, quæ à quocumque Doctore prodierit, neque praxis à quibuslibet Curijs, aut Tribunalibus invectæ, imò nec quarumcumque declarationum, quæ ab hujus Almæ Urbis nostræ Tribunalibus, sive etiam à Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, Immunitati Ecclesiasticę prępositorum, emanaverint, quatenùs præsenti nostræ Constitutioni adversentur, sed in occurrentibus casibus normam, hic à Nobis præscribendam inviolabilitèr ab omnibus observari volumus, & sancimus.

Quotiescumque igitur Curia Ecclesiastica à Curiâ Seculari fuerit requisita, ut Laicum aliquem delinquentem è loco immuni extrahi, ac illi consignari faciat, eaque super delicti excepti qualitate, ac personæ reitate subministrata, vel acquisita sint indicia, quæ ad capturam decernendam sufficere videantur; tunc Curia Ecclesiastica ad ejusdem Delinquentis extractionem ab Ecclesiâ, alijsve locis immunibus, ope, ac medio suorum Executorum, implorato etiam, quatenùs opus sit,

bra-

Brachii secularis auxilio, & cum interventu Personę Ecclesiasticæ ab Episcopo deputandæ, procedere teneatur, extractumque ad suos Carceres asportari, ac ibi sub tutâ custodiâ detineri curet, & faciat. Ubi verò ex Processu informativo desuper conficiendo constet de crimine excepto, ac insuper adversùs eumdem Extractum talia resultent indicia, ut crimen ab eo fuisse patratum moraliter credi possit (quæ quidem indicia juxtà regulas Juris vocantur ultrà torturam) eo tandem casu præfatum Extractum Ministris, & Officialibus Curię Secularis tradere, & consignare possit, ac debeat; exactâ tamen, receptâque priùs ab ipsis obligatione, in formâ Juris validâ, restituendi Extractum Ecclesię, sub pœnâ excommunicationis latę sententię, Nobis, ac pro tempore existenti Romano Pontifici reservatę, quatenùs ibidem Extractus indicia contra ipsum acquisita in suis defensionibus purget, ac diluat. Quod si ea minime purgaverit, & verè delinquens repertus fuerit, Curiæ Seculari in ipsum tali casu, ut juris esse censuerit, agere, atque procedere liceat.

Pręterea considerantes sępę dictum Gregorium Prędecessorem in suâ Constitutione, optimo quidem jure, sanxisse, ut soli Episcopi, & non alii Episcopis inferiores, etiamsì locorum Ordinarii sint, aut nullius Diœcesis, aut Conservatores a Sede Apostolicâ specialitèr, vel generalitèr deputati, cognoscere, & declarare valeant, an delicta, pro quibus Inquisiti ad loca immunia confugerunt, & in eis se receperunt, sint, necne de genere, ac numero exceptorum: Nos providam ejusmodi dispositionem approbantes, & confirmantes, eique inhærentes, Motu, scientiâ, ac potestatis plenitudine, similibus, tenore pręsentium, quibuscumque Magistratibus, Officialibus, & Ministris Secularibus, nec non quibusvis aliis personis cujuscumque gradus, & conditionis existant, etiamsi Imperiali, Regiâ, Ducali, aut aliâ quâvis mundanâ Dignitate, aut auctoritate pręfulgeant, districtè interdicimus, ac inhibemus, ne hujusmodi causis, vel conficiendo processus, vel Inquisitos extrahendo à locis immunibus, vel declarando crimina ab eis admissa esse de exceptis in Gregorianâ, aut in pręsenti nostrâ Constitutione, ullo pacto sese ingerant, aut immisceant. Quod si secùs quidquam attentare pręsumpserint, ex nunc omnia in

contrarium præmissorum gerenda, irrita, & inania, nulliusque roboris, vel momenti perpetuò forè, ipsosque Attentantes in Censuras, & alias pœnas à Sacris Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis adversùs eos, qui Jurisdictionem Ecclesiasticam quoquo modo lędunt, ac violant, inflictas, incurrere decernimus, & declaramus: volentes, intendentes, ac expressè mandantes, quod omnimoda cognitio, atque judicium de criminibus in Gregorianâ Constitutione exceptis, & à Nobis superiùs explicatis, tum etiam de aliis, quæ in præsenti nostrâ Constitutione adjicienda, & similitèr excipienda duximus, quēadmodùm, ut præfertur, adjecimus, & excepimus, ad Episcopos tantùm, privativè quoad omnes alios, perpetuò spectet, atque spectare debeat; & donec ipsi in occurrentibus casibus declaraverint delictum esse de exceptis, & cetera omnia à Nobis superiùs constituta adimpleverint, Inquisitos Ecclesiæ, vel alterius loci sacri, ad quem confugerunt, immunitate gaudere tutò debere, ac in eà conservandos, & manutenendos esse statuimus, pracipimus, & mandamus.

Universos demùm, & singulos Venerabiles Fratres Nostros Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, & Episcopos, quos hujus nostræ Constitutionis Executores deputamus, in visceribus Domini Nostri Jesu Christi hortamur, & paternâ charitate admonemus, ut quanti momenti sit hoc negotium, seriò cogitantes, in occurrentibus casibus qualitatem testium, & probationum pondus, summo studio, ac vigilantiâ scrutentur, omnemque fraudem, & dolum procul arceri satagant; quin etiam Sacerdotali pectore, quotiescumque opus fuerit, iis omnibus obsistant, qui ejusdem præsentis Constitutionis executionem, ac observantiam quomodocumque, temerario ausu, impedire přesumerent. In reliquis porro casibus, tam in hac nostrâ, quàm in Gregorianâ Constitutione non exceptis, memores, quàm acriter semper, & quam eximiâ, ac prorsùs singulari animi fortitudine Majores nostri, pro Ecclesiasticâ libertate, ac Immunitate pugnaverint, nihil de illâ imminui permittant, neque sacris juribus labem ullam irrogari patiantur, sed ea pari sanè zelo, atque constantiâ tueri curent: ab omni tamen tumultu, ac perturbatione caventes, ne jactantię causâ potiùs, quam miserationis, & justitię titulo, Ecclesiastica Privilegia asserere velle videantur. Decer-

Decernentes easdem præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque, semper valida, firma, & efficacia existere, ac fore, suosque integros, atque plenarios effectus ubique sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit quomodolibet in futurum, inviolabilitèr, & inconcussè observari; Sicque, & non alitèr in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quavis præeminentiâ, & potestate fungentes, ac functuros, sublatâ eis, & eorum cuilibet, quavis alitèr judicandi, & interpretandi facultate, ac authoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si quid secùs super his à quoquam, quavis authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus quibuscumque Cancellariæ Nostræ Apostolicæ Regulis, nec non quorumcumque Prædecessorum nostrorum Literis Apostolicis, Privilegiis, Indultis, & facultatibus, quibusvis Personis etiam speciali mentione dignis, & quavis quantumcumque sublimi dignitate, & authoritate fulgentibus, & ex quibusvis etiam gravibus, ac urgentissimis causis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis Decretis, etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine similibus, etiã consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsì pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio facienda; aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & occasiones, ac aliâ etiam speciali expressione digna, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, insertis, ac servatis respectivè habentes, hac vice dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, ac derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Ut autem præsentes Literæ ad omnium notitiam faciliùs deve-

deveniant, & nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, seù earum exempla ad Valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, nec non Cancellariæ Apostolicæ, Curiæquæ generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigi, & publicari; sicque publicatas, & affixas, omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perinde arctare, & afficere, ac si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent: utque ipsarum præsentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarij publici subscriptis, & sigillo alicujus Personæ in Ecclesiasticâ Dignitate constitutę munitis, eadem prorsùs fides, tam in judicio, quàm extra illud, ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omninò hominum liceat paginam hanc nostræ voluntatis, sanctionis, declarationis, confirmationis, præcepti, decreti, mandati, prohibitionis, & derogationis infringere, vel ei, ausu temerario, contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorũ ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicę millesimo septingentesimo vigesimo quinto, sexto Idus Junij, Pontificatus Nostri anno secundo.

P. M. Card. Prodat. F. Card. Oliverius.

Visa de Curia J. C. Archiepiscopus Amasenus.

Loco ✠ Plumbi. L. Martinettus.

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno à Nativitate Domini millesimo septingentesimo vigesimo quinto, Indictione tertia, die verò 15. mensis Junii, Pontificatus autem SS. in Christo Patris, & D. N. D. BENEDICTI Divina Providentia Papæ XIII. Anno Primo, supradictæ Literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum Lateranensis, Principis Apostolorum, & S. Mariæ Majoris de Urbe, & in Acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis & consuetis per me Franciscum Buldum Apost. Curs. Antonius Pelliccia Mag. Curs.

AD

AD CAPUT XXI.

De Funeribus, & Exequijs.

Constitutio Sanctissimi Domini Nostri BENEDICTI XIII. Qua decernitur, & mandatur, ut in Italia, eique adjacentibus insulis, Parochus Defunctorum, qui in Ecclesijs quorumcumque Regularium de cetero tumulabuntur, Quarta funeralis persolvatur, cum alijs ordinationibus, et arrogationibus opportunis.

BENEDICTUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

XLI.

ROmanus Pontifex, æqui, bonique supremus Assertor, auctoritatem à Christo, per Beatum Petrum Apostolorum culmen sibi traditam intelligens, ut ex Agro Dominico, pro temporû necessitate, noxia evellat, & destruat; utiliaque plantet, ac ædificet, ea interdùm, quæ à Prædecessoribus suis, ob rationabiles, & justas causas olim sancita fuerunt, ubi in grave aliorum præjudicium, & detrimentum redundare cognoscit, atque dissidiis, & contentionibus fomentum præbere animadvertit, maximè inter Dei, & Ecclesiæ Ministros, quorum est evangelizare pacem, & quibus à Domino non aliud frequentiùs, neque enixiùs commendatur, quàm ut pacem, ac unitatem diligant, moderari, & immutare, aliasque Pastoralis Officij sui partes desuper interponere solet, prout rerum, locorum, temporumque circumstantiis maturè pensatis, discordiarum extinctioni, Ecclesiasticorum Ministrorum quieti, fidelium Animarum saluti, divinoque cultui conspicit salubriter expedire.

Sanè quamplures Romani Pontifices Prædecessores nostri, multiplicia, ac planè insignia considerantes merita Ordinum Regularium, qui militantem in terris Ecclesiam fortissimis omni tempore auxerunt præsidiis, Viris nempe vitæ sanctitate, doctri-

doctrinæ laude, ac Orthodoxæ Religionis zelo præstantibus, eidemque in Cœlis triumphanti eximij fulgoris lumina addiderunt, ipsos Ordines, eorumque Professores, plurimis satis amplis indultis, & privilegijs benignè decorarunt, ac inter alia ijs illud concesserunt, ut canonicam portionem, seù quartam funeralium emolumentorum partem, pro personis, quæ in eorum Ecclesijs Sepulturam sibi eligerent, Parochis persolvere minimè tenerentur; ac ad majorem ejusmodi Privilegij firmitatem, Sanctioni etiam à fel. rec. Clemente V. Prædecessore nostro editæ in Concilio Viennensi, & relatæ in Clementinâ *Dudum Sepultur.*; necnon Concilij Tridentini Decreto relato *in cap.* 13 *sess.* 25. *de reformat.*, prædictam Quartam Funeralē Parocho apertè reservantibus, non semel amplissimè derogarunt; Undè non acerbæ modò Parochorum querelæ, sed innumeræ etiam contentiones, atque lites inter eos, & Regulares, super solutione ejusdem Quartæ, diversis temporibus, excitatæ fuerunt, quæ coram Ordinarijs Locorum, & deindè in varijs quoque Almæ Urbis nostræ Tribunalibus, præsertim verò in Auditorio Palatij Nostri Apostolici, & in Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium præfati Concilij Tridentini Interpretum, magno Partium studio, nec minori sumptuum incommodo, discussę, sicut accepimus, aliquando ad favorē Parochorū, aliquandò autē ad favorem Regularīū, pro diversis Causarū circumstantijs, atque vario Judicantium sensu, decisæ, ac definitæ fuerunt. Hæc porrò Judicatorum, Sententiarumque diversitas, cum nullā certam, ac determinatam constituerit regulam in evenientibus casibus observandam, magnum planè fomentum, & ansam relinquit, imò & latam sternit viam ulterioribus inter prædictos Regulares, & Parochos litibus, & controversijs, ex quibus ipsi, qui in domo Dei ambulare debent cum consensu, novis de cetero perturbari dissidijs, novisque prægravari dispendijs possunt, cum Divini Cultus detrimento, & scandalo plurimorum.

Quocircà Nos maximè expedire censentes, ut ejusmodi controversiæ, & lites ab Ecclesiâ Dei penitùs arceantur, ac insuper, licet universos Ordines Regulares, in quibus, nempe in Ordine Fratrum Prædicatorum, Nos ipsi plurium annorum spatio versati sumus, speciali paternæ charitatis affectu

pro-

profequamur, eofque, uti de Ecclefiâ, Catholicâ Fide, & Sede Apoftolicâ optimè meritos præcipuo femper in honore, ac pretio, habuerimus, & habeamus; nihilominus, confiderantes, exemptionem à folutione Quartæ Funeralis præfatis Ordinibus, à dictâ Apoftolicâ Sede conceffam, modò vergere in maximum Parochorum præjudicium, tum propter multiplicationem Conventuum, & Monafteriorum Regularium, tum etiam propter auctam devotionem, & confuetudinem Fidelium fepulturam eligendi in Ecclefijs prædictorum Regularium; ac proinde, non modò confentaneum, fed etiam neceffarium arbitrantes, ut eorumdem Parochorũ, quibus ceteroquin Sacri Canones, & prifca Ecclefiæ difciplina apertè fuffragantur, indemnitati opportunè confulatur, & antedicta Apoftolica Privilegia ad æquitatis limites reducantur: Hinc igitur eft, quod Nos omnia, & fingula memorata Privilegia exemptiva à folutione Quartę Funeralis, quibufvis Ordinibus, Congregationibus, ac Inftitutis Regularibus ab Apoftolicâ Sede, ut præfertur, quandocumque, & quomodocumque conceffa, prę entibus pro plenè, & fufficienter expreffis habentes, ac de eorum tenore, & fubftantiâ fatis fuperque inftructi, de nonnullorum Venerabilium Fratrum Noftrorum S. R. E. Cardinalium, & aliquot etiam Romanę Curiæ Prælatorum à Nobis ad id fpecialiter deputatorum confilio, fuadentibus etiam Epifcopis, & aliis Ecclefiarum Prælatis, in præfenti Sacro Concilio congregatis, ac infuper motu proprio, ex certâ fcientiâ, ac maturâ deliberatione noftris, deque Apoftolicæ poteftatis plenitudine, hac noftrâ perpetuo valiturâ Conftitutione, præmiffa omnia Privilegia, quoad Quartam Funeralem tantùm, pro locis infra exprimendis, moderamur, reformamus, ad viam juris reducimus, & quatenus opus fit, etiam revocamus, & abrogamus, neque cuiquam deinceps fuffragari poffe, vel debere decernimus.

Præterea motu, fcientiâ, & poteftatis plenitudine fimilibus fancimus, ftatuimus, & mandamus, ut in Italiâ, eique adjacentibus Infulis, à die publicationis præfentis Conftitutionis in futurum, Parochis Defunctorum, qui in Ecclefiis quorumcumque Regularium prædictorum tumulabuntur, perfolvatur, & cum effectu tradatur Quarta Pars omnium Intorticiorum,

& Candelarum, quibus Defuncti Cadaver in itinere ad Ecclesiam tumulantem associabitur, nec non omnium Intorticiorum, & Candelarum, quæ in eàdem Ecclesiâ circa Cadaver, vel etiam in Altaribus, in die funeris, accendentur. A prædicta tamen Quarta Funerali exceptæ intelligantur, & sint Candelæ, quas Sacerdotes, etiam Regulares, vel piarum Sodalitatum Confratres funus associantes, manualiter per viam accensas deferent. Quòd si funus non fieret in die tumulationis, sed ad diversam diem, vel ad aliud longius tempus differretur, Parocho nihilominùs assignetur Quarta Pars omniũ Intorticiorum, & Candelarum, quæ, ipsàmet peracti funeris die, in Ecclesiâ, ubi Defunctus humatus fuit, circa Coenotaphium, seu tumulum honorarium, atque etiam in Altaribus ejusdem Ecclesiæ, accensa fuerint. Hæc portò omnia locum habeant, & exactè in posterum observentur, quotiescumque Defunctus extrà suam Parochialem Ecclesiam tumuletur, vel exponatur, sive quia in Ecclesiâ tumulante, vel exponente Beneficium obtinuerit, sive quia ibidem Sepulchrum habuerit gentilitium, sive tandem quia in eà Sepulturam elegerit. Ceterùm sub prædictâ Quarta Funerali comprehendi non intendimus, imò expresse ab eà excipimus legata Missarum, & Anniversariorum, hisque similia pia relicta ad favorem Ecclesiæ tumulantis, vel exponentis à Defuncto disposita: Circa quæ, ac omnia, & singula alia, de quibus in præsenti Constitutione mentio facta non fuit, Privilegia prædictis Regularibus Ordinibus ab Apostolicâ Sede concessa, salva prorsus, illæsa, ac inviolata perpetuò permanere, & ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inconcussè, ac irrefragabiliter observari debere volumus, decernimus, & mandamus. Ubi verò consuetudines legitimæ probatæ, conventiones, concordiæ, vel statuta vigerent, quæ præfatis Parochis magis faverent, illisque pinguiorem prædictâ Quartâ emolumentorum funeralium portionem assignarent, ea in iis, in quibus vigent, locis inconcussè, ab omnibus observari, motu, scientiâ, ac potestatis plenitudine paribus, sancimus, præcipimus, & jubemus.

Decernentes pariter præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod prædictorum Ordinum Regula-

gularium Superiores, vel quicumque alij in præmissis interesse habentes, seù habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, seu causæ, propter quas præsentes emanarint, adductę, verificatæ, seù aliàs justificatę non fuerint, vel etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, aut alio quovis prætextu, & ex quocumque capite, colore, & causâ etiam necessariò exprimendà, de subreptionis, vel obreptionis, seù nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quopiam defectu notari, impugnari, in toto, vel in parte rescindi, retractari, invalidari, in jus, vel controversiam revocari, ad terminos juris reduci, seù adversùs illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut quodcumque aliud juris, vel facti, gratię, vel justitię remedium impetrari, seù eo impetrato quemquam uti, seù juvare in judicio, vel extra nullatenùs posse; sed eas semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, ac obtinere, & ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcussè observari debere; Sicque, & non aliter in pręmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum dicti Palatij Apostolici Auditores, & Sanctę Romanę Ecclesię Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Nuncios, sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostrà, & Cancellarię Apostolicę Regulà de jure quęsito non tollendo, alijsque Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & Synodalibus Concilijs editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, nec quorumvis Ordinum prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus, etiam immemorabilibus, Privilegijs quoque, Indultis, & Literis Apostolicis per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros eisdem Ordinibus, ut præfertur, illorumque Superioribus, & Professoribus quibuscumque, sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatorijs, &

aliis efficacioribus, & insolitis clausulis, & Decretis irritantibus, etiam motu simili, & consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seù quævis alia expressio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & occasiones, ac alia etiam speciali expressione digna præsentibus prò plenè, & sufficienter expressis, insertis, ac servatis respectivè habentes, hac vice dumtaxat, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, ac derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Ut autem præsentes literæ ad omnium notitiam faciliùs deveniant, & nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, seù earum exempla, ad Valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicę, Curiæque generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigi, & publicari; sicque publicatas, & affixas omnes & singulos, quos illæ concernunt, perindè arctare, & afficere, ac si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimatę fuissent: utque ipsarũ præsentium Literarum transumptis, seù exemplis etiã impressis, manu alicujus Notarij publici subscriptis, & sigillo alicujus Personæ in Ecclesiasticâ Dignitate constitutæ munitis, eadẽ prorsùs fides, tàm in judicio, quam extra illud, ubique adhibeatur, quę ipsis pręsentibus adhiberetur, si forent exhibitę, vel ostensæ.

Nulli ergò omninò hominum liceat paginam hanc Nostrarum voluntatis, declarationis, reformationis, moderationis, concessionis, assignationis, pręcepti, sanctionis, mandati, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo quinto, quarto Kalendas Maij, Pontificatus nostri Anno primo.

Decre-

Decretum Sacræ Congregationis Concilij.

XLIII.

CUm, varijs Controverſijs exortis inter Parochum, & Confratres Societatis Orationis, & Mortis, aggregationē habentis Archiconfraternitatis Orationis, & Mortis in Urbe inſtitutæ, cui, ob laudabile inſtitutum ſepeliendi Cadavera miſerabilium perſonarum, quæ derelicta reperiunt, multa privilegia conceſſa fuerunt, inter alia Dubia Sacræ Congregationi Concilij propoſita reſolvenda, propoſitum fuerit Dubium.

An, quando Parochus eſt paratus ad Sepeliendi Cadavera pauperum Defunctorum, ſeu Occiſorum, poſſit & Confraternitas Mortis ſepelire, in Caſu &c.

Sacra Congregatio, ſub 24. Septembris 1718. reſpondit *Negativè*.

Decretum Sacræ Rituum Congregationis.

XLIV.

INterrogata Sacra Congregatio, an *liceat deferre ad Eccleſiam Defunctos, quacumque horâ diei, etiam de nocte, ſine expreſsâ licentiâ Ordinarij?*

Sub die 15 Maij 1704. reſpondit.

Affirmativè de die; de nocte vero, niſi de licentiâ Ordinarij.

AD

AD CAPUT XXV.

De Vitâ, & Honestate Clericorum.

Constitutio Sanctissimi Domini Nostri BENEDICTI XIII. Quâ Locorum Ordinarijs norma præscribitur coercendi Clericos Beneficiatos in habitu Laicali incedentes, eosdemque Clericos teneri, sub mortali ad restitutionem fructuum perceptorum, nec posse, nisi a Summo Pontifice, excepto etiã majori Pœnitentiario, absolvi, & liberari, decernitur, & declaratur, cum alijs Ordinationibus.

BENEDICTUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI.
Ad perpetuam rei memoriam.

LXV.

CAtholicæ Ecclesiæ regimini, per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam, nullo licèt meritorum Nostrorum suffragio, præsidentes, eò potissimum Apostolicæ vigilantiæ studia dirigenda esse arbitramur, ut qui in sortem Domini vocati sunt, Ecclesiasticæque Militiæ nomen dederunt, ubique irreprehensibiles inveniantur. Maximè siquidem ipsos decet vitam, moresque suos omnes ita componere, ut habitu, gestu, incessu, alijsque omnibus rebus, nil, nisi grave, moderatum, ac religione plenum præseferant. Quocircà Clericos quoscumque, præsertim verò Beneficia Ecclesiastica obtinentes, teneri Vestes honestas, & proprio congruentes Ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant, & si secus fecerint, etiam pœnà privationis Beneficiorum plectendos esse, Sacræ Tridentinæ Synodi Decretis, pluribus Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum sanctionibus, providè, atque salubriter cautum est.

Cum itaque, sicut, non sine maximo animi Nostri mœrore, imò etiam horrore, percepimus, quorumdam Clericorum Beneficia Ecclesiastica obtinentium audacia, & temeritas hodie

eò

eò usque processerit, ut in dedecus Ordinis Clericalis, Sacrorum Canonum contemptum, magnamque Animarum suarum perniciem, incedere in habitu Laicali minimè vereantur; Nos gravissimo huic abusui, & Christifidelium offensioni, pro Pastoralis officij debito, quantum Nobis ex alto conceditur, opportunè consulere cupientes, de nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, & aliquot insuper dilectorum Filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum, quos ad id specialiter deputavimus, consilio, ac etiam Motu proprio, ex certâ scientiâ, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac Nostrâ perpetuò valiturâ Constitutione decernimus, statuimus, & mandamus, quòd Ordinarij locorum, ubi sita sunt Beneficia, ejusmodi Clericorum Vestes Laicales deferentium impudentiam, canonicis remedijs, omnino coerceant, & hunc in finem non modo possint, sed etiam debeant contra ipsos procedere per citationes domi, dimissâ copiâ, quatenùs domicilium habeant in eorum respectivè Diœcesi: sin minùs per citationes ad Valvas: Jurisque ordine ceteroquin servato, sententiam declaratoriam privationis obtentorum Beneficiorum ipsos ferre, & pronunciare, ita tamen, ut eadem Beneficia juxta Constitutionem fel. rec. Sixti V. Prædecessoris Nostri incipientem: *Cum Sacrosanctum*. Nostræ, ac Romani Pontificis pro tempore existentis collationi, provisioni, ac omnimodæ dispositioni reserventur, & reservata censeantur.

Præterea volumus, statuimus, & declaramus, prædictis Clericis Beneficiatis in habitu Laicali incedentibus, minimè licere percipere, nec facere suos fructus, & proventus quoscumque suorum Beneficiorum cujuscumque generis, speciei, qualitatis, & valoris existant: quin etiam expressè decernimus, & sancimus, ejusmodi Beneficiatos ex mero facto incessùs in habitu Laicali, quamvis nulla præcesserit Ordinariorum sententia declaratoria privationis Beneficiorum, quæ obtinent, imò etiamsi nulla citatio, monitio, vel alius judicialis actus in eos fuerit institutus, ipso jure amissionis, & privationis fructuum prædictorum pœnam incurrere, itaùt illos nullo modo percipere, nec perceptos retinere, vel facere suos possint: sed ipsos, absque ullâ prorsus diminutione, ad commodum fabricæ Ec-

cle-

clesiarum, in quibus erecta sunt Beneficia, illico, sub pœnâ lethalis culpę, restituere teneantur; a qua quidem restitutionis obligatione, a nemine, pręterquam a Nobis, & a Romano Pontifice pro tempore existente (sublatâ ceteris omnibus, etiã Pœnitentiariæ Apostolicę officio, & Majori Pœnitentiario condonandi facultate) eos absolvi, & liberari posse volumus, pręcipimus, & mandamus.

Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, semper firma, & efficacia existere, ac fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter, & inconcussè observari; sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quavis præeminentiâ, & potestate fungentes, & functuros, sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, ac authoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si quid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostrâ, & Cancellariæ Apostolicę regulâ de jure quæsito non tollendo: necnon Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, Statutis, usibus, stylis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis aliâ firmitate roboratis: privilegijs quoque, indultis, & Literis Apostolicis quibuscumque, sub quibusvis tenoribus, & formis, & cum quibuscumque etiam derogatoriarũ derogatorijs, alijsque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & alijs decretis etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine similibus, etiam Consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium pręmissorum concessis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione, de illis, eorumque tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio facienda, aut aliqua alia exquisita forma

ad

ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & occasiones, ac aliâ etiam speciali expressione digna, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, insertis, ac servatis respectivè habentes, hac vice dumtaxat, illis aliàs in suo robore permansuris, ad premissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, ac derogatum esse volumus, ceterisque contrarijs quibuscumque.

Ut autem presentes Literæ ad omnium notitiam faciliùs deveniant, & nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus, illas, seu earum exempla ad Valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicę Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicę, Curiæque generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigi, & publicari; sicque publicatas omnes, & singulos, quos illę concernunt, perinde arctare, & afficere, ac si unicuique eorum nominatìm, & personalitèr intimatę fuissent; utque ipsarum presentiū Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Personę in Ecclesiasticâ Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tàm in judicio, quàm extra illud, ubique adhibeatur, quę ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensę.

Nulli ergo omninò hominum liceat paginam hanc Nostrę voluntatis, sanctionis, præcepti, mandati, & derogationis infringere, vel ei, ausu temerario, contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo quinto, sexto Non. Maij, Pontificatus Nostri anno primo.

P. M. Card. Prodat. F. Card. Oliverius.

Visa de Curia I. C. Archiepiscopus Amasenus.

Loco ✠ Plumbi.

L. Martinettus.
Registrata in Secretaria Brevium.

AD CAPUT XXVIII.

De Parochis.

Constitutio Sanctissimi Domini Nostri BENEDICTI PAPÆ XIII. Quâ Edictum felic. recor. Innocentij Papæ XII. de Parochialibus Ecclesijs Pensionum onere non gravandis confirmatur, perpetuisque futuris temporibus observari mandatur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

XLVI.

QUanta Pastoribus animarum, quas Redemptor Noster Jesus Christus, pretiosissimo cruore suo, acquisivit, in crediti sibi Gregis regimine adhibenda sit vigilantia, exacti muneris ratio ab ipsis supremo Pastorum Principi districtè reddenda apertè Nos docet, dum commissarum ovium sanguinem, quę ex Custodum fortassè incuriâ pereunt, in extremi examinis die, de illorum manibus severus Judex requiret. Porrò inter cętera, quæ animarum Rectoribus Divino præcepto mandata sunt, quemadmodùm Sancta Tridentina Synodus rectè admonet, illud esse dignoscitur, ut ipsi Pauperum, aliarumque miserabilium Personarum curam paternam gerant: hoc est illis, qui inopiâ laborant, præsertìm verò Viduis, atque Virginibus, Orphanis, Pupillis, & Infirmis non modò spiritualia debitæ pietatis, & charitatis officia tribuant, verùm etiam, more boni Patrisfamilias, eorum necessitatibus, pro viribus subveniant, & quæcumque possunt temporalia subsidia conferre non prætermittant. Nec sanè minorem, imò fortè potiorem, iidem animarum Rectores adhibere tenentur curam, & diligentiam, ut Parochiales cujusque ipsorum Ecclesiæ, quas maxima decet sanctitudo, quotiès necessitas exigit, à temporis injurijs vindicentur, ac insuper omni cultu, ornatu, atque decore præfulgeant. Quæ quidem omnia à plerisque Parochis, pręsertim in

in Italiâ (ut diuturno quinquaginta annorum in Episcopatu, licèt infeliciter, à Nobis translactorum experimento satis novimus) præstari, & impleri non possunt, quoniam Parochialia, quæ obtinent, Beneficia gravibus adeò Pensionibus, fructuum reservationibus, alijsque oneribus, ut plurimùm obnoxia sunt, ut ipsis interdùm proprio victui necessaria vix super sint, & qui Altari serviunt, de Altari vivere aliquando non valeant.

§ 1. Gravem ejusmodi Pensionum, onerumque abusum animo secum reputans fel. rec. Innocentius Papa XII. Prædecessor Noster, pro eximio zelo suo, à Sanctâ Dei Ecclesiâ eum submovere curavit, & re ipsâ toto Pontificatus sui tempore submovit, ac è medio sustulit, saluberrimo desuper promulgato, typisque edito Edicto tenoris sequentis, videlicet. *Bandino del Titolo di S. Pancratio Prete Cardinal Panciatichi, e della Santità di Nostro Signore Prodatario. Volendo la Santità di Nostro Signore con la sua paterna carità, e zelo eccitare li Parochi alla maggiore vigilanza dell' anime alla di loro cura commesse, e facilitargli il modo di sovvenire alle necessità delle medesime con più abbondanti elemosine: Quindi è, che per ordine espresso datoci à bocca dalla Santità Sua comandiamo, & ordiniamo, che per l' avvenire non s' abbino da aggravare le Parochiali, etiam di Juspadronato Laicale, di Pensioni, e che ciò deva osservarsi ancora dagl' Ordinarij nelle provisste, che essi faranno per farne. In oltre, che non si ammettino rassegne, ò permute di Parochiali con riserva di Pensioni à favore di chi si sia, e sotto qualsivoglia titolo, etiam di prestazioni di alimenti, e che molto meno si riservino Pensioni sopra le medesime Parochiali*, sine causâ Beneficio pleno, *di consenso de Possessori per qualsivoglia causa, e titolo. Dalla Dataria questo dì 11. Novembre 1692. B. Card. Prodatario:* Quod quidem Edictum tamquam æquitati, justitiæ, sacrisque Sanctionibus maximè consentaneum, ut omnibus innotesceret, & ab omnibus etiam, quemadmodùm par erat, observaretur, Nos, qui tunc, præter Cardinalatus honorem, Metropolitanæ Ecclesiæ Beneventanæ regimini præeramus, in primâ Nostrâ Provinciali Synodo ejusdem Ecclesiæ habitâ anno 1693. *Tit.* 22 *cap.* 2 expressè memoravimus, ejusque prætereà integrum tenorem in Appendice retulimus.

 § 2. Ve-

§. 2. Verùm postquàm antedictus Innocentius Prædecessor viam universę carnis ingressus fuit, præfatum Edictum, utpotè temporarium, in desuetudinem abjit, omnique penitùs effectu caruit, & Parochiales Ecclesiæ ijsdem, ut anteà, Pensionibus, aliisque oneribus prægravari cœperunt: quin etiam, sicut accepimus, atque diuturno Pastoralis muneris exercitio abundè comperimus, quorumdam Patronorum Laicorum, quibus jus præsentandi, seu nominandi Rectorem pro tempore earumdem Parochialium Ecclesiarum, occurrente illarum vacatione, cęteroqui legitimè competit, impudentia, ac effrænis avaritia, quæ idolorum servitus est, alicubi eò usque processit, ut ejusmodi præsentationem, seu nominationem veluti sub hastâ ponere, & (quod dolentes dicimus) licitatori ampliorem Pensionem offerenti polliceri, & addicere non erubuerint.

§. 3. Hinc igitur est, quòd Nos detestandæ huic Beneficiorum Ecclesiasticorum nundinationi, aliisque præmissis pro Pastoralis officii nostri debito consulere, ac simul opportunè providere volentes, ut antedictis animarum Pastoribus de cętero commodior suppetat modus nedum suas Parochiales Ecclesias, quotiescumque oportuerit, reparandi, ornandi, sacrisque suppellectilibus ad Divinum cultum necessariis instruendi, sed etiam subveniendi pauperum, aliarumque miserabilium Personarum pręfatarum indigentiis ex eo, quod honestæ, & congruæ ipsorum sustentationi supererit: ac insuper ipsis incitamentum præbere cupientes, ut suscepti ministerii labores, & incommoda libentiùs perferant, & Gregi alacriùs attendant, in quo positi sunt regere plebem Dei: Motu proprio, ac ex certâ scientiâ, & maturâ deliberatione nostris, deque Apostolicę potestatis plenitudine, hac Nostrâ perpetuo valiturâ Constitutione, præinsertū laudatissimi Prædecessoris Edictū, omniaque, & singula in eo contenta amplissimè confirmamus, & approbamus, illisque perpetuæ, ac irrefragabilis Apostolicæ firmitatis vim, robur, & munimen adjicimus, omnesque, & singulos juris, & facti, ac alios defectus, siqui forsan intervenerint, in eisdem supplemus, atque illud, & illa, quatenùs opus sit, innovamus, ac instauramus, & ab omnibus, ad quos spectat, ac de cętero quomodolibet spectabit, perpetuis futuris tem-

temporibus inviolabiliter, & inconcussè observari volumus, statuimus, & mandamus: Reservatâ tamen Nobis, & Romano Pontifici pro tempore existenti facultate, ac authoritate imponendi antedictis Parochialibus Ecclesijs eas Pensiones, quas Beneficiorũ proventus, & locorum, personarumque conditio imponi permiserint, in favorem dumtaxat, & commodum Fabricæ earumdem Ecclesiarum, ad hoc, ut illę ejusmodi certo subsidio promptiùs reparari, opportunè manuteneri, & congruis etiam ornamentis, ut præfertur, augeri possint, & valeant.

§. 4. Decernentes præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod in præmissis jus, vel interesse habentes, aut habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, ac auditi, & causæ, propter quas eædem præsentes emanarunt, verificatæ, seu aliàs sufficienter, aut etiam in aliquo justificatæ non fuerint, vel alijs quibusvis de causis quantumvis urgentibûs, ullo unquàm tempore à quoquam de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quolibet, quantumvis magno formali, & substantiali defectu, notari, impugnari, retardari, invalidari, aut ex quovis quæsito prætextu, vel colore in controversiam vocari, ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut quempiam impetrato, seu etiam motu, scientiâ, potestatis plenitudine similibus, concesso uti nullatenùs posse; sed easdem pręsentes Literas semper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, ac obtinere, nec non memoratis animarum Rectoribus plenissimè suffragari: Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, ac Nuncios, & quosvis alios quali bet authoritate, præeminentiâ, & potestate fungentes, & quandocumque functuros, in qualibet causâ, & instantiâ, sublatâ eis, & eorum cuilibet in quocumque judicio aliter judicandi, ac interpretandi facultate, judicari, & definiri debere; irritumque, inane, nulliusque prorsus roboris, vel momenti quidquid secùs super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. §. 5. Non

§ 5. Non obstantibus, quatenùs opus sit, de jure quæsito non tollendo, aliisque nostris, & Cancellariæ Apostolicæ Regulis, necnon aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Constitutionibus, & Ordinationibus quibuscumque, ac illâ præsertim fel rec. Pij IV. de gratijs qualecumque interesse Cameræ Nostrę Apostolicæ concernentibus intra certū inibi expressum tempus exhibendis, & registrandis, ita ut easdem prẹsentes Literas ibidem exhiberi, & registrari numquàm necesse sit, aliisque quibuscumque Apostolicis, & in Provincialibus, ac Synodalibus Conciliis editis, ac edendis specialibus, vel generalibus Constitutionibus; Statutis quoque, Decretis, & Consuetudinibus, etiam immemorabilibus, ac Privilegiis, Indultis, & Literis Apostolicis, sub quibusvis tenoribus, & formis, etiam motu simili, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, & cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisve efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis, etiam Consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, confirmatis, & approbatis, ac pluriès, & quanticumque vicibus innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seù quælibet alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, causas, & occasiones præsentibus pro plenè, & sufficienter, ac exactissimè expressis, insertis, servatis, & specificatis respectivè habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè, ac plenissimè, & amplissimè derogamus, & derogatum esse volumus, & mandamus, cęterisque contrariis quibuscumque.

§ 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seù exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarij publici subscriptis, & sigillo alicujus Personæ in Ecclesiasticâ Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud, ab omnibus habeatur, quæ haberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§. 7. Nul-

§. 7. Nulli ergò omninò hominum liceat paginam hanc nostrarum voluntatis, confirmationis, approbationis, præcepti, sanctionis, mandati, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo quarto, viij. Idus Septembris, Pontificatus Nostri Anno primo.

P. M. Card. Prodatarius. F. Card. Oliverius.

Visa de Curia J. C. Archiepiscopus Amasenus.

Loco ✠ Plumbi.

L. Martinettus.
Registrata in Secretaria Brevium.

Anno à Nativitate Domini Nostri J. C. *millesimo septingentesimo vigesimo quarto, inditione secunda, die vero vigesima Septembris, Pontificatus SS. D. N. D. BENEDICTI Divina Providentiâ Papæ XIII. Anno primo, supradictæ Literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad Valvas Basilicarum Principis Apostolorum, S. Joannis in Laterano & S. M. Majoris, prout similiter ad Valvas Cancellariæ Apostolicæ, & Magnæ Curiæ Innocentianæ, & in Acie Campi Floræ, aliisque locis solitis, & consuetis Urbis, dimissis copiis, ut moris est, per Nos Antonium Placentinum, & Hieronymum Herbam Apostolicos Cursores.*

Joannes del Rè Magister Cursorum.

Decreta

Decreta Sacræ Congregationis Concilij. An Parochi semel approbati, possint iterum ab Ordinarijs examinari?

XLVII.

SAcrum Concilium Tridentinum *sess. 21 cap. 6. de Reform.* decrevit, quod Episcopi etiam tamquam Sedis Apostolicæ Delegati, possint, quacumque appellatione, & exemptione remotà, deputare Coadjutores, seu Vicarios pro tempore, Parochis illiteratis, & imperitis, partemque fructuum eisdem, pro sufficienti victu, assignare.

Quamobrē, cum sæpè contingat, ut, obtentà Parochiali Ecclesiâ, Parochi ampliùs studijs non vacent, & facilè obliviscantur, quæ, solum ad obtinendā approbationē, memoriæ mandaverant, eà nimirum de causâ, quod sciant, se ampliùs ad examen non esse revocandos, Episcopus Pamplonensis, supradicto Conciliari fretus decreto, supplicavit Sacrā Congregationē Concilij, sub die 15. Januar. 1667. ut dignaretur declarare, an per Episcopum possint, quando sibi expedire videatur, ad examen denuò vocari?

Et Sacra Congregatio, sub eodem die sic declaravit.

I. *Posse Episcopum examinare Parochos semel approbatos, quando adest suspicio de illorum inhabilitate.*

II. *Posse etiam hoc examen facere extra Visitationem.*

III *Non requiri ad hoc examen faciendum, ut præcedant judiciales probationes imperitiæ.*

Verùm, cum nonnulli Parochi, ad eludendam executionem supradictę Declarationis, obtinuissent inhibitiones, præsertìm Rotales, habuit Episcopus novum recursum ad Auditorem Sanctissimi, & remissà ab eo causà ad Sacram Congregationem.

Sacra Congregatio: *Attento rescripto Auditoris Sanctissimi Domini Nostri, censuit committendum, prout commisit, Episcopo Pampilonensi, ut Sacræ Congregationis Declarationes exequatur, & procedat, non obstantibus dictis inhibitionibus.*

Similiter, de Anno 1684. die 19. Novembris, cum Parochi Civitatis Suburbiorum Cajetæ conquererentur apud Sacram Congregationem, quod ab eorum Episcopo vocati fuerint ad se subdendos novo examini super materià Confessionis, & cęte-

Ceremoniarum Missæ, Sacra Congregatio, sub eodem die 19. Novembris respondit,

Quod darentur decreta in Pampilonensi.

Non multis ab hinc Mensibus, cum Episcopus Legionensis, sub die 15. Decembris 1725. Sacræ Congregationi repræsentasset, quod ad continendos in officio Parochos, qui obliti ea, quæ tantum ad obtinendam approbationem memoriæ mandata sciebant, prorsus abjecto studio, inhabiles ad eorum munus exercendum, reddebantur, nulla alia supererat via tanto malo occurrendi, quam sibi, & alijs Episcopis facultatem impertiri, eos ad novum examen vocandi, quoties ita duxerint expedire, appellatione remotâ; ut examinis timor efficiat, ne studia muneri suo opportuna, post adeptam Parochiam, totaliter derelinquant;

Sacra Congregatio, sub eodem die 15. Decembris, Instantijs Episcopi rescripsit, *Quoad examen Parochorum, dentur Decreta*,

Decretum Sacræ Congregationis Concilij, quoad Famulos, & Famulas Monialibus, etiam exemptis, inservientes.

XLVIII.

Famulos, Famulasque, Monialibus etiam exemptis inservientes, obligationem habere implendi præceptum Paschale, in Ecclesiâ Parochiali, sicut cæteros Parochianos, Sacramenta a Parocho recipiendi, dum infirmantur, nec non in Ecclesiâ Parochiali, nisi alibi Sepulturam elegerint, esse sepeliendos, licet habitent in domo extructâ intra Cortile, sive Atrio Monasterij, declaravit Sacra Congregatio *in una Leodien.* 14. Aprilis 1685. *& in unâ Spoletanâ* 19 Aprilis 1691.

Et noviter, cum Visitator Patriarchatus Ulyxbonen. Occidentalis, in Sacrâ ejus Visitatione, Decretum addiderit, quo prohibuit Confessarijs Regularibus, ne ad tramites Constitutionis Alexandri VII. incipientis *Felici Sacrarum Virginum*, quæ habetur in primâ Nostrâ Synodo *Addit. par Sec. ad cap.* 33. *de Monialibus*, habitarent in Atrijs Monasteriorum Monialium eorum Jurisdictioni subjectarum; quæ atria muro erant circumvallata, & Monasterijs contigua; simulque declaravit,

 famu-

famulos, famulasque Monialium intra Atrium, vel Cortile Monasterij degentes, teneri, ad præceptum Paschale adimplendum in Ecclesiâ Parochiali, & ad Parochum spectare illis Sacramenta, tempore infirmitatis, administrare, eosque ad Sepulturam associare; reclamarunt Patres Ordinis Minorum S. Francisci, eodemque tempore Visitator prædictus institit, per Sacram Congregationem Concilij, sequentia Dubia resolvi.

I. *An liceat Confessarijs Regularibus Monialium iisdem subjectarum habitare in mansionibus sitis in Atriis Monasteriorum Muro circumvallatis, & quæ sunt contigua Monasterijs, & habent portam, quæ clauditur?*

II. *An famuli, & famulæ Monialium Seculares, in iisdem Mansionibus degentes, teneantur recipere Sacramentum Eucharistiæ tempore Paschali a Parochis, in quorum Parochijs Monasterium, & mansiones sitæ sunt, in Casu &c.*

III. *An ad dictos Parochos spectet Sacramenta dictis famulis, & famulabus ministrare in casu ultimæ infirmitatis, in Casu &c.*

Et Sacra Congregatio, sub die 19. Septembris 1722. Respondit.

Ad primum; *Negativè*,

Ad secundum, *Affirmativè*,

Ad tertium; *Affirmativè, & amplius in omnibus.*

APPEN-

APPENDIX

Ad hanc tertiam Additionum partem.

AD CAPUT XIX.

De Sacrosanctis Ecclesijs.

XLIX.

CUm, in Parte Secundâ Additionum ad primam Nostram Synodum, inter alia Decreta Sacræ Congregationis Concilij *ad cap. 19. de Sacrosanctis Ecclesiis*: illud habeatur, in quo, sub die 15. Decembris 1703. venerabilis memoriæ Clemens XI., ex voto ejusdem Sacræ Congregationis, declaravit, non licere Episcopis, & his Majoribus Prælatis, etiamsi Cardinalatûs Dignitate fulgeant, extra Domum propriæ habitationis, in Domibus Laicis, etiam in propriâ Diœcesi, erigere Altare, ibique Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrare, seu celebrari facere; necessarium duximus, in hac Tertiâ Nostrâ Synodo ejusdem Decreti declarationem a Sanctissimo Domino Nostro Benedicto XIII. factam apponere, quæ habetur in Concilio Romano, in Sacrosanctâ Basilicâ Lateranensi celebrato Anno Universalis Jubilei, D. verò 1725., sub Tit. XV. de Celebrat. Missar. &c. cap. 3. tenoris sequentis.

Declaramus tamen, quod, cum in prædicto Decreto statuatur, non licere Episcopis, extra Domum propriæ habitationis, in Domibus Laicis erigere Altare, ibique Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrare, sive celebrari facere, hujusmodi prohibitio intelligenda non sit de Domibus, etiam Laicis, in quibus ipsi Episcopi fortè occasione visitationis, vel itineris, hospitio excipiantur; & nec etiam, quando Episcopi in casibus a jure permissis, vel de speciali Sedis Apostolicæ licentiâ, absentes a Domo propriæ ordinariæ habitationis, moram idcirco faciant in alienâ Domo, per modum similis habitationis. His enim casibus, licita ijs erit erectio Altaris ad effectum prædictæ celebrationis, non secus, ac in Domo propriæ ordinariæ habitationis.

AD CAPUT XXIII.

De Bonorum Ecclesiasticorũ Inventario.

L.

IN Primâ Nostrâ Synodo, omnibus tam Ecclesiarum, ac Monasteriorum, quam Piorum quorumcumque locorum Rectoribus, aut quoquo nomine vocatis Administratoribus, Inventarium fieri mandavimus Bonorum, Jurium, Actionum, Redditum, Sacrarum Supellectilium, omniumque Rerum ad ipsa loca spectantium; nec non impressam typis hujusmodi Inventarij faciendi formulam dedimus. Cum igitur post tertiam Synodum celebratam, Constitutio Sanctissimi Domini Nostri Benedicti XIII. de Archivis erigendis, pro rerum ante dictarum custodiâ, emanaverit; eamdem hic proponimus, ab omnibus, ad quos pertinet, observandam.

SANCTISSIMI IN CHRISTO PATRIS, ET D. NOSTRI

BENEDICTI XIII. PONT. MAX.

Constitutio de Archivis in Italia erigendis pro custodia Jurium, & Scripturarum, ad quascumque Ecclesias, Cathedrales, Collegiatas, & non Collegiatas pertinentium; ad Seminaria etiam, ad Monasteria utriusque sexus, ad Collegia, Congregationes, Confraternitates, Hospitalia, & qualibet Loca Pia, & Regularia instituta. Accedit Italica Instructio de Scripturis, quæ in ijsdem Archivis reponi debent.

BENEDICTUS EPISCOPUS SERVUS SERVOR. DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

I. MAxima vigilantia, quam Majores Nostri in rerum suarum monumentis ad Posterorum memoriam retinendis semper adhibuerunt, adeo testata, & passim literis tradita est, ut Nostris verbis prædicari minimè egeat. Nihil enim fre-

quen-

quentiùs in veterum Patrum scriptis, sacrisque Conciliorum & Ecclesiæ sanctionibus legitur, quam Scrinia, Tabularia, Archiva, Conditoria, & Armaria, à temporum, atque hominum injuria servandis rerum gestarum Documentis, Chartis, Diplomatibus, Codicibus, Instrumentisque, constructa; unde fides, & veritas rerum ad Successorum recordationem transmitti posset. Nec tantum veteres quidem Romani Pontifices Antecessores Nostri singularem hanc providentiam in custodiendis ejusmodi actis, & monumentis identidem ostenderunt; sed ceterarum quoque Ecclesiarum Pastoribus tantæ rei gravitas maximè innotuit, propptereaque rerum sibi creditarum testes literas ad instructionem futurorum, summa fide, servari voluerunt; quippe qui probè nossent, quantæ inde utilitates manarent. E recentioribus, Ecclesiasticæ disciplinæ reparator insignis Beatus Carolus Borromæus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, & Archiepiscopus Mediolanensis in Concilio Provinciali I. non uni suæ, sed ceterorum etiam Antistitum Ecclesijs, Sacræ suæ Metropoli contributis, summè cavit, ob illarum jura sarta tecta servanda, de Archivis, & Tabulariis in singulis Episcopijs speciatim erigendis, peculiares Canones, & sanctiones promulgari statuens: quod, & Nos, tam gravem, & piam disciplinam præ oculis habentes, olim in Concilio Nostro Provinciali I. Beneventano, Deo favente, statuimus, Majorum exempla secuti, qui in suis Constitutionibus non solùm Romæ, sed præcipuè in universis Regionibus, & Civitatibus, Beati Petri Apostolorum Principis temporali imperio subjectis, Archiva, & Tabularia erigi jusserunt, ne Scripturæ ad res publicas attinentes dispergerentur.

II. Quum verò ad aures nostras rumor pervenerit, in multis Episcopatibus, & Ecclesijs rem tam providam, utilemque non sine privato, & publico damno negligi; quod nisi opportuno remedio tollere satagamus, incommoda Ecclesiarum facilè in immensum crescent; Nos ex debito Postoralis officii Constitutionem à Pio V. Antecessore Nostro pro Archivis Sedium Episcopalium utriusque Siciliæ olim vulgatam, & fraudes, ac subreptiones scripturarum, quæ tempore Sedium vacantium perpetrabantur, etiam respicientes, necessarium putavimus, nonnullas alias Ordinationes, & Statuta his Nostris

Apo-

Apostolicis Literis, perpetuum robur habituris, edere tenoris sequentis, videlicet.

III. Ut omnes Patriarchæ, Metropolitæ, Archiepiscopi, Episcopi, & Prælati inferiores, Ordinarii locorum, nullius Diœcesis, jurisdictionem Episcopalem exercentes, in tota Italia, eique adjacentibus Insulis, qui in suo Palatio Episcopali locum tutum, nec cuivis facilè adeundum, pro servandis in eo scripturis ad Dignitatem, & jurisdictionem Episcopalem, sive Ordinariam, Mensam, & Forum suæ Curiæ pertinentibus; non habent, statim de loco tantæ rei destinando seriò cogitent: in quo loco, tuto, congruo, non humescenti, unde scripturis ipsis lapsu temporis pernicies ulla inferatur, loculi, plutei, & armaria, recipiendis scripturis, & Codicibus apta, secundum Instructionem Italicam, inferiùs subjiciendam, disponantur, & diligenter clausa custodiantur. Quoad Archiva, & Tabularia olim erecta, iidem Prælati pro sua vigilantia eorumdem statum sedulò recognoscant; illorum aptæ capacitati, atque ordini, juxta supradictam instructionem, ut, quoad fieri potest, structura, & dispositio omnium Archivorum sit uniformis, intra sex menses post harum publicationem, provisuri.

IV. Hic idem terminus sex mensium injungitur quibuscumque Capitulis Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum, tam insignium, quàm non insignium, ut locum opportunum, juxta modum jam indicatum disponant in aliqua mansione Cathedralis, vel Collegiatæ Ecclesiæ, ubi commodè serventur, & custodiantur scripturæ, jura, & statum eorumdem Capitulorum respicientem. Seorsum verò armarium habeatur pro scripturis, ad jura, & statum particularem Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum attinentibus. Volumus enim, ut Archiva Capitulorum ab illis, quæ sunt Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum omnino distinguantur; ideoque in prospectu, & facie, sive anteriori parte cujuscumque Archivi, sive Armarii, exterius scribatur, cujusnam sit illud Archivum, an scilicet Ecclesiæ, an verò Capituli?

V. Hæc observanda etiam præcipimus a quocumque Abbate, Priore, vel Superiore Regulari cujuscumque Ordinis, etiam Societatis Jesu, vel cujuscumque Instituti, etiam speciali nota digni, necnon Hospitalis Beati Joannis Hierosolymitani, scilicet

pro

pro dispositione, constructione, seu constitutione Archivi in loco apto, modo, quo supra, intra claustra propriæ Domus, Monasterii, seu Conventus: idemque omninò executioni mandandum curent Abbatissæ, & Superiores cujuscumque Monasterii Monialium, & Sacrarum Virginum, Domuumque Piarum Mulierum, quæ Conservatoria appellantur, quæque per hęc scripta non intendimus approbare. Similiter hęc eadem Constitutio Nostra in construendis, & custodiendis Archivis observetur ab Ecclesiis receptitiis, Collegiis, Seminariis, Convictibus, Congregationibus, Hospitalibus, Montibus Pietatis, aliisque Locis Piis cujuscumque generis, & quocumque nomine censeantur, sub administratione Rectorum, Ministrorum, & Officialium temporaneorum, sive perpetuorum existentibus.

VI.

Omnes jam dicti Patriarchę, Archiepiscopi, Episcopi, Ordinarii Locorum, & Superiores Regularium utriusque sexus, ut supra, postquam congesserint, & clauserint, vel disposuerint scripturas in Archivo extructo, vel extruendo, omni diligentia, & sollicitudine earumdem Catalogum, & inventarium conficiendum, & cum brevi singularum scripturarum Synopsi, & lemmate, vel summario describendum curent. Episcopi, & Ordinarii eumdem Catalogum, & Inventarium a Notario, seu Cancellario Curiæ Episcopalis, vel Ordinariæ, aut, eo impedito, ab aliâ personâ, per eum substituendâ, confici curent coram se ipsis, seu Vicario generali, vel aliâ personâ ab iisdem substituendâ: idemque Catalogus, & Inventarium ab eodem Notario, seu Cancellario singulis paginis subscribatur. Catalogus verò in fine totius operis, a Prælato, postquam ipse accuratè, & sedulò recognoverit singulas paginas diligenter conscriptas, fideliterque a Notario, seu Cancellario propriæ Curiæ, vel a personâ ei substitutâ, exaratas, subscribatur. In Semiminariis autem Episcopalibus Archivum, ut supra, erigatur, & inventarium scripturarum per publicum Notarium, ab Episcopo, sive Ordinario eligendum, qui non sit Cancellarius Curiæ Episcopalis, sive Ordinariæ, conficiatur coram Vicario Generali, aut aliâ personâ Ecclesiasticâ, a prædictis Ordinariis substituendâ, & coram uno ex Deputatis Seminarii, ad horum beneplacitum, etiam alternis vicibus, cum subscriptione illius, qui eidem confectioni interfuerit, ut supra.

Cata-

VII. Catalogus, & Inventarium Archivi Capitulorum Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum, per Archivistam, ut inferiùs dicetur, a Capitulo eligendum, conficiatur coram duobus Canonicis antiquioribus, & peritioribus Cathedralis, & Collegiatę, eo ordine, & subscriptione, quam supra memoravimus. Inventarium tamen, & Catalogus Archivi Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum distincti ab Archivo Capituli, per hominem a proprio Episcopo, sivè Ordinario deputatum, coram Vicario Generali, vel personâ Ecclesiasticâ, ab ipsis Ordinariis eligendâ, necnon coram Canonico antiquiorum Ecclesię Cathedralis, vel Collegiatæ, appositis subscriptionibus eorumdem, conficiatur, ut supra. Inventaria, & Catalogi scripturarum, quæ in Archivis Monasteriorum, & locorum Regularium servantur, eodem, quem diximus, ordine conficiantur per Archivistam Regularem ipsius Monasterii, seu Conventus, ut inferiùs, eligendum, & coram Abbate, vel Superiore Monasterii, & antiquiore ex Monachis, vel Regularibus Monasterii, vel Conventus: qui quidem Abbas, vel Superior suam subscriptionem apponere debeat.

VIII. In Monasteriis Monialium, inque Domibus Pijs, quę Conservatoria nuncupantur, Inventarium, & Catalogus conficiatur, & subscribatur, ut supra, per hominem ab Episcopo, sive Ordinario deputatum, coram proprii Monasterii Confessario, & Abbatissâ, vel Priorissâ, sive Superiore, & Vicariâ.

In Ecclesijs conventualibus, seu receptitijs, Collegijs, & Seminarijs, scorsum à Seminarijs Episcopalibus, ut supra, memoratis in Convictibus, Congregationibus, Confraternitatibus, Hospitalibus, Montibus Pietatis, alijsque Locis Piis, ut supra, Inventarium, & Catalogus coram primo Officiali, & Camerario cum eorum subscriptione per Archivistam, si ibi erit, aliàs per Virum idoneum, ab Administratoribus eorumdem locorum deputatum, conficietur.

IX. Hujusmodi Inventarii, & Catalogi, sic, ut diximus, confecti, duo exemplaria inter se prorsus similia conficiantur, quorum unum in Archivo ipso Episcopali servetur, alterum apud Prælatum Diœcesis, ut supra, antiquiorem Canonicum Cathedralis, vel Collegiatæ, Abbatem, vel Superiorem Monasterii, aut Conventus, Abbatissam, vel Priorissam, aut Superio-

periorem Monasterii Monialium, & Conservatorii Rectorem, vel primum Officialem Locorum Piorum, respectivè, ut supra, ita tamen, ut perfuncti suo munere, Successoribus illud tradant.

XI. Eadem Archiva duabus clavibus, & seris inter se diversis aperiantur; quarum una, quoad Archiva Episcopalia, sive Ordinariorum, à Prælato, sive Ordinario servabitur; altera à Cancellario, seu Notario Curiæ Episcopalis, vel Ordinariæ. Archivi autem Seminariorum Episcopalium una clavis ab Episcopo, sive Ordinario, altera ab Archivi Præfecto, per Episcopum, sive Ordinarium eligendo, cum consilio Deputatorum eorumdem Seminariorum, custodiatur. Archivi Capituli Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ unam clavim ejusdem Archivi Pręfectus servabit, aliam Canonicus antiquior.

XII. Ubi mos est, ut Beneficiati Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ Archivum habeant distinctum à Capitulari, de more unam ejus clavim retineat Beneficiatus antiquior, alteram Beneficiatus Archivi Præfectus, sive Archivista, ut inferiùs dicetur, eligendus. Ubi verò Beneficiatorum Archivum unà cum Capitulari conjunctum haberi consuevit, ejus claves juxta eamdem consuetudinem retineantur; sique ab uno ex Beneficiatis retineri consuevit, ita pariter observetur. Si verò Beneficiati carent Archivo separato, & distincto, neque Scripturas ad sua jura pertinentes in Archivo Capitulari conservant, tunc jubemus, atque præcipimus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & Ordinariis, ut Archivum cum armariis seorsum erigendum curent, modo superiùs memorato, ut Scripturarum conservationi prospiciatur. Quoad verò particulare Archivum ipsius Ecclesiæ Cathedralis, & Collegiatæ, una ex ejus clavibus a Canonico ejusdem Ecclesię Cathedralis, vel Collegiatæ, per Episcopum, sive Ordinarium deputando, altera verò ab ipso Episcopo, sive Ordinario retineatur.

XIII. In Monasteriis, seu Conventibus Regularium una ex clavibus Archivi a Superiore Conventus, altera ab Archivista retineatur.

XIV. In Monasteriis Monialium, piisque Domibus, quę Conservatoria appellantur, una ex clavibus per Abbatissam, vel Priorem, aut Superiorem Localem, altera per Confessarium Monasterii, aut Conservatorii custodiatur.

XV. In aliis Locis supra memoratis, unam Archivi clavium Rector, vel primus Officialis custodiat, alteram Archivista, ut inferiùs, eligendus.

XVI. Quotannis, Mense Januarii, Inventario, sive Catalogo Scripturarum illæ Scripturæ adjungantur, quæ anno pręcedenti confectæ, vel aliàs neglectæ fuerunt.

XVII. Episcopi, & Ordinarii, tempore visitationis, ex præscripto Sacrosancti Concilii Tridentini faciendæ, Archivum Episcopale, sive Ordinarium omninò visitent. Item visitent Archivum Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, nimirum Armaria, in quibus jura Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ custodiuntur, & Scripturas, ac Jura eadem recognoscant, præsentibus duobus Canonicis antiquioribus, & peritioribus Capituli. Archivum Scripturarum, quæ statum, & jura Capituli Cathedralis tantùm respiciunt, pariter visitent, exploraturi, utrùm Scripturæ sint bene dispositæ, secundum Instructionem huic Nostrę Constitutioni adjungendam, idque agant unà cum duobus Canonicis antiquioribus, nec tamen possit Episcopus, sive Ordinarius rimari Scripturas, quę res ejusdem Capituli respiciunt. Præterea Episcopus, sivè Ordinarius Archivum Beneficiatorum cum duobus ex eorum numero antiquioribus pariter visitet, diligenter observaturus, utrùm hujus Nostræ Constitutionis ordinationes adimpleantur. Ubi verò Beneficiatorum Archivum cum Capitulari commune est, in ejus visitatione sibi adjungat duos Beneficiatos, pręter duos Canonicos antiquiores, ut illud pariter, ut supra dictum est, visitet.

XVIII. Episcopi, & Ordinarii, quoad Archiva Ecclesiarum, aliorumque locorum, hoc ipsum agant ad tenorem hujus Nostræ Constitutionis, quam ubique observari curent: ita tamen, ut in iis locis, in quibus visitationem jure ordinario peragere possunt, eodem jure ordinario Archiva prædicta visitent. In locis verò, in quibus ijdem Episcopi, & Ordinarii jure delegato visitationem peragere possunt, hujusmodi etiam jure delegato memorata Archiva explorare, & executionem eorum, quæ hac Nostrâ Constitutione traduntur, promovere possint, & debeant, inque relatione suâ, tempore visitationis Sacrorum Liminum faciendâ, separatim referant statum Archivorum.

Præ-

Prælati verò *Nullius*, ad visitationem Sacrorum Liminum non accedentes, quolibet triennio evoluto, doceant Congregationem S. R. E. Cardinalium Interpretum Concilii Tridentini de Statu Archivi, deque observatione hujus Nostræ Constitutionis, & Cardinalis Præfectus, ubi opus fuerit, illam docere eos cogat.

XIX.

Itidem Generales, Provinciales, & Visitatores cujuscumque Ordinis, & Instituti Regularis, ut supra, in suis visitationibus, quas facient in singulis Monasteriis, & Conventibus Regularium, ac Monialium sibi subjectarum, peculiariter quærant, an singula in hac Nostra Constitutione comprehensa, adamussim servata fuerint, ac serventur, pœnisque in eâdem contentis, inobedientes ad observantiam, etiam juris remediis, compellant. Iidem Visitatores suis Superioribus, in relatione visitationis, statum Archivorum in dictis Monasteriis, & Conventibus visitatis a se repertum referant; seque executioni hujus Constitutionis sedulò invigilasse omninò doceant: pro qua executione, ubi necessitas tulerit, Superiorum auctoritatem implorare non desinant. Immo, in Capitulis Provincialibus, & Generalibus, Superiores Conventuum, & Monasteriorum, seu Provinciarum, de observantiâ hujus Nostræ Constitutionis, quoad Archiva erigenda, & conservanda in suis Monasteriis, seu Conventibus, rationem hujusce rei exigant.

XX.

In singulis Capitulis Cathedralium, seu Collegiatarum quotannis inter ceteros Officiales, Archivista ex corpore Capituli eligatur. Idem pariter de Monacho, seu Religioso in Monasteriis, seu Conventibus Regularium agatur, ubi ceteri Officiales a Conventualibus, sivè a Superioribus eliguntur, qui facultatem habeant eligendi Officiales eorumdem Monasteriorum, sivè Conventuum.

XXI.

In reliquis Locis Piis, sivè Confraternitatibus superiùs memoratis, ubi adest Collegium, inter ceteros Officiales ab eo eligi solitos, omninò eligatur Archivista, pro fideli custodiâ dictorum respectivè Archivorum. Ubi verò non eliguntur Officiales ab Ordinario, vel deest Collegium eos electurum, atque homo Archivistæ muneris capax, tunc Rector dicti Loci Pii custodiat Archivum, vel aliquem Virum probum, & fidelem pro ejusdem custodiâ deputet.

XXII. Prælati, sivè utriusque sexus Superiores suę Ecclesiæ Scripturas Archivo inferendas curent, secundum instructionem inferius recitandam.

XXIII. Ordinarii, priusquam Inventarium Archivi sui concinnandum curaverint, sedulò inquirant chartas, scripturasque usurpatas, aliò distractas, atque dispersas: quod præsertim, Sede vacante, contingere solet; & quęcumque necessaria remedia adhibeant, ut eædem Scripturæ Archivo restituantur, vel ubi lateant, manifestetur. Qui non sunt Ordinarii, coram Ordinariis auxilium judiciarium præstantibus, agant pro scripturarum recuperatione, inque Archivum suum translatione.

XXIV. Decessurus, vel ad longum tempus extra Diœcesim abiens Episcopus, Prælatus, sive Ordinarius, Inventarium Scripturarum Archivi, suo Sigillo obsignatum, teneatur omnino dare proprio Confessario, ut alicui Superiori Regulari ejusdem Civitatis cum syngraphâ receptionis tradatur, juxta memoratam Pij V. Prędecessoris Nostri Constitutionem. Superior autem novo electo Episcopo, seu Ordinario, vel antiquo illuc redeunti, idem inventarium tribuat, restitutâ syngraphâ receptionis Superiori. Si tamen obitus jamdicti Confessarii, vel Superioris ante novi Episcopi, seu Ordinarii electionem, sive reditum supradictum evenerit, tunc Inventarium, & syngrapha memorata Confessariis eorum, respectivè, adhibitâ simili cautione, tradantur, & executioni demandetur, quod ipsi, morte præventi, adimplere nequiverint.

XXV. Obeunte Prelato, Capitulum antequam ad Vicarii Capitularis electionem deveniat, diligenter inquirat, an inventarium Scripturarum Archivi Episcopalis, quod penes se servare debebat, reperiatur, agnoscatque, an impleta fuerit prædicta Nostra Dispositio, quâ traditio inventarii, proprio Confessario facienda, decernitur, ut Superiori Regulari tribuatur: quod inventarium, si repertum fuerit, Capitulum illud Superiori Regulari, ab eo tutè, & fideliter usque ad novi Pręlati electionem custodiendum, tradere teneatur. Si autem idem inventarium repertum minimè fuerit, neque constiterit, fuisse traditum modo, quo supra; tunc debeant duo antiquiores Canonici Archivi claves penes se suscipere, idemque Archivum coram duobus Testibus Presbyteris non Capitu-

pitularibus, suis propriis sigillis exterius munire, ita ut clavibus minimè reserari possit. Nec Capitulum, vel Vicarius Capitularis ejusdem Archivi sigilla disrumpere, aut reserare audeant, aut possint, nisi prius iidem duo Canonici antiquiores, fractis sigillis, & aperto Archivo coram duobus Presbyteris non Capitularibus, Scripturas ipsas contulerint cum inventario authentico, quod juxta nostram hanc Dispositionem in eodem Archivo servandum est. Si verò minimè repertum fuerit inventarium in Archivo, jamdicti duo Canonici teneantur manu publici Notarii accuratè duplex inventarium Scripturarum Archivi, ut supra, conficere, quorum unum in Archivo servetur, alterum Superiori Regulari, ut supra, tradatur: aliàs si hujus Nostræ Constitutionis, & Dispositionis trasgressores extiterint, & Archivum reserare præsumpserint, præter pœnas generales, inferiùs imponendas, tam Capitulum, quàm Vicarius Capitularis obstricti sint cuicumque detrimento, quod inde evenire contigerit, Parti, & Fisco ob scripturas ex Archivo subreptas, necnon aliis pœnis arbitrio successoris Episcopi, seu Ordinarii subjaceant.

XXVI.

Post obitum Episcopi, claves Archivi apud duos Canonicos, à Capitulo deputandos, remaneant, nec Commissario Apostolico, Sede vacante, ullo pacto tradantur; sed tantùm permittatur, ut ille una cum Canonicis deputatis, in Archivo Scripturam aliquam, suæ commissioni necessariam, scrutari posit; inde tamen nullam transferat; cùm novus Episcopus à Capitulo Scripturarum ex Archivo Episcopali translatarum, omniumque ad Ecclesiam, seu Mensam Episcopalem pertinentium rationē exigere debeat, ex Concilio Tridentino sess. xxiv. cap. xvi. de Reformatione.

XXVII.

Ex Archivis non liceat efferre Scripturas sine Prælati, vel Superioris facultate illas exscribendi, easdemque post triduum in suum locum restituendi, ubi syngrapha receptionis, triduano tempore limitata, reponatur. Hanc syngrapham Scripturas recipiens, sua manu in Codice ad hoc retinendo in eodem Archivo, subscribat; Ordinariis tamen locorum reservatâ facultate prorogationis temporis, quæ moderatè concedatur.

XXVIII.

Ad Processus quacumque occasione postulante facilè invenien-

niendos, volumus, ut Notarii, Tabelliones, & Actuarii unius mensis spatio ab expeditione causarum, Archivistæ eosdem Processus quoscumque, criminales, civiles, & quamcumque rem continentes, Ecclesiasticam, vel temporalem, tradere teneantur, per eum in Archivo reponendos, atque servandos: quos pariter inventario Scripturarum singulatim recensebit, sub pœna transgressoribus privationis officii, & futuræ ad id obeundum inhabilitatis, præter alias pœnas in hac Constitutione sancitas. Ubi Archivistas, & Scripturarum Custodes mutari contigerit, hi Successoribus suis omnes Scripturas, per publicum documentum inde confectum, exhibeant; aliàs hi æquè, ac Successores de Scripturis deficientibus rationem reddant.

XXIX. Denique, ut prospiciatur conservationi scripturarum, ad Ecclesias, Parochias, Capellanias, Altaria, Loca Pia, & causas quoque pias pertinentiū, quæ per collationem, vel nominationem, seu præsentationem Canonicam, vel quocumque alio modo reguntur, & administrantur per Virum Ecclesiasticum, vel Sæcularem, non verò per Collegium, & propterea difficilùs est Archivum, secundum jamdictam Instructionem formatum constituere, volumus, ut Ordinarii in suis visitationibus pro suo arbitrio, & prudentiâ eidem Scripturarum conservationi provideant, erectionem Archivi fieri mandantes, regulasque præscribentes, quas rei aptiores fore cognoverint, subjectæ Instructioni se conformare pro opportunitate curantes.

XXX. Omnium, & singulorum hactenus expositorum executionē sub præcepto Sanctæ Obedientiæ quibuscumque, ut supra, personis, respectivè, injungimus, ab iisque servari volumus, & mandamus; immò rursus Patriarchis, Metropolitanis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Ordinariis, habentibus usum Pontificalium, sub pœnâ suspensionis ab eorum usu, arbitrio Summi Pontificis; Capitulis autem Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum sub pœnâ interdicti; reliquis Ecclesiasticis Sæcularibus in Sacris constitutis sub pœnâ suspensionis a Divinis; Regularibus utriusque sexus, suspensionis ab officio, & privationis vocis activæ, & passivæ; Sæcularibus, sub pœnâ Excommunicationis majoris: quarum censurarum, ut pœnarum absolutio, & relaxatio reservetur Romano Pontifici.

XXXI. Curent præterea universi Prælati supradicti, & Superiores Regu-

Regulares omni diligentiâ qualibet hac Nostrâ Constitutione contenta, undequaque observari, ad avertendum præjudicium grave, quod imminere posset Ecclesiis ex occultatione jurium, pro quorum custodia, & conservatione ipsi pro viribus laborare tenentur ex onere assumpto in, ipso limine receptionis suæ dignitatis, & muneris: proindeque inobedientes, nedum juris remediis ad observantiam eorum, quæ hac Constitutione vulgantur, cogere possint, sed debitis pœnis in eos, qui muneri suo deerint, animadvertere non omittant.

XXXII.

Decernimus autem, easdem præsentes de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quovis alio defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, aut in jus, vel controversiam vocari nunquam posse; sed illas semper perpetuò validas, & efficaces fore, suosque plenarios effectus sortiri, atque ita per quoscumque Judices, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & Cameræ Clericos, ac S. R. E. Cardinales, sublatâ eis quavis aliter judicandi, vel interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere: irritum quoque, & inane decernimus, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

XXXIII.

Non obstantibus quibuscumque Constitutionibus Apostolicis de non tollendo jure quæsito, & quorumvis Capitulorum, Ecclesiarum, Monasteriorum, aliorumque Piorum Locorum, etiam juramento, Confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, exemptionibus, immunitatibus, à Nobis, & Prędecessoribus Nostris sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibusvis clausulis, & decretis, quomodolibet concessis, ac in futurum concedendis. Quibus omnibus, etiamsi de illis, illorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa mentio habenda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro sufficenter expressis habentes, illis in suo robore aliàs permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem pręsentium exemplaribus manu, & sigillo cujusvis publici Notarii, vel alterius Personę in Ecclesiasticâ dignitate constitutę munitis, eadem prorsus fides in ju-

judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

XXXIV. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc Paginam Nostræ Institutionis, Voluntatis, Mandati, Statuti, Ordinationis infringere, vel ei ausu temerariò contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo septimo XVIII. Kal. Julias, Pontificatus Nostri Anno IV.

P. Card. Prodatarius.

F. Card. Oliverius.

Visa de Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

Lucas Martinettus.

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo septingentesimo vigesimo septimo, indictione quinta, die verò decima nona Mensis Junii; Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini BENEDICTI Divina Providentia Papæ XIII. anno quarto, supradictæ Literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad Valvas Basilicæ Lateranensis, Principis Apostolorum, & Sanctæ Mariæ Majoris de Urbe, & in Acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis per me Jacobum Vasellium SS. D. N. PP. Curs.

Petrus Romolatius Curs. Mag.

ISTRU-

ISTRUZIONE PER LE SCRITTURE DA RIPORSI NEGLI ARCHIVI.

I.

Le Scritture da riporsi, e conservarsi in tutti gli Archivj tanto de' Vescovi, e di altri Ordinarj, quanto de' Capitoli delle Chiese Cattedrali, Collegiate, e Recettizie de' Collegj, Seminarj, Convitti, Congregazioni, Confraternite, Spedali, Monasterj, de' Regolari dell' uno, e dell' altro Sesso, e di altri Luoghi Pij.

1. LE fondazioni de' Vescovadi, delle Chiese, Monasterj, e altri luoghi accennati respettivamente, le quali si ritrovano, o si possono ritrovare originalmente, o in autentica.

2. I Privilegj, e le Concessioni Originali, o copie pubbliche intorno allo Spirituale, o al Temporale, per indulto de' Sommi Pontefici, o de' Principi Secolari.

3. Gli Strumenti, Testamenti, Codicilli, Donazioni, Enfiteusi, Locazioni, Transazioni, Contratti, e i Mandati di procura, fatti per li Negozzj della Curia de' Vescovi, o altrove, che riguardano i suddetti luoghi, e Cause Pie, Mense, Beni, Rendite, Ragioni, e Azioni respettivamente. Di tali atti si conservino sempre negli Archivi gli Originali, o le copie autentiche.

4. Si conservi pure un Libro, chiamato, *Platea*, di tutti i Beni Stabili, Rendite, Ragioni, e Azioni delle Chiese, e de' Luoghi, e Cause Pie, nel quale si faccia descrizione distinta circa l'acquisto, tempo, Notaro, Confini, e Piante de' medesimi Stabili, con ogni altra particolarità, e circostanza per le più chiare notizie. Così ancora nel detto Archivio dovranno riporsi, e serbarsi le *Platee* antiche, e altri Libri, che riguardano i Beni, e le rendite, Ragioni, e Azioni delle medesime Chiese, Luoghi, e Cause Pie suddette respettivamente.

5. Similmente un altro Libro, nel quale siano registrate le notizie delle Fondazioni, Concessioni, Privilegj, e Prerogative delle Chiese, Luoghi, e Cause Pie suddette respettivamente.

6 L'Inventario de' Mobili, Utensili, Drappi, Biancherie, e di tutte l'altre cose, tanto sacre, quanto profane, che spettano alle dette Chiese, Luoghi, e Cause pie respettivamente. Questo Inventario dovrà rinnovarsi ogni dieci anni, con aggiungervi, e levare tutto ciò, che sarà consumato, e di nuovo acquistato, e provveduto.

7 Le Autentiche, e nota di tutte le Indulgenze concedute, e delle Sante Reliquie, che vi si conservano.

8 Le Copie di Sentenze, e atti giudiciali, le notizie delle cause, controversie, e liti che sono state in qualsisia Tribunale Ecclesiastico, o Secolare circa la dignità, giurisdizione, beni, rendite, ragioni, e azioni delle Chiese, Luoghi, e Cause pie, e loro Mense respettivamente.

II.

Scritture particolari, da riporsi, e conservarsi in tutti gli Archivj de Vescovi, e degli altri Ordinarj nullius, *e che hanno giurisdizione quasi Episcopale, oltre alle sopraddette del* §. 1.

1. Tutte le Visite, e i Decreti di esse intorno a tutte le Chiese, e Luoghi visitati dall'Ordinario.

2. Le Copie di tutte le Relazioni, che l'Ordinario averà fatte alla Sacra Congregazione del Concilio nella visita de' Sacri Limini.

3. Tutte le delegazioni, o assoluzioni, e attestazioni, che avesse ricevute il Vescovo dalla suddetta Congregazione del Concilio circa la visita de' Sacri Limini.

4. Tutte le Risposte della medesima Congregazione alle Relazioni fatte dal Vescovo.

5. Le Scritture, che riguardano le materie della Santa Inquisizione, o Santo Ufizio, si ritengano in un'armadio dell'Archivio a parte serrato con chiave particolare, e con la soprascritta, *Scritture del S. Uffizio*: e la chiave del medesimo armadio si ritenga dal Vescovo, sive Ordinario del Luogo, o appresso chi destinerà detto Ordinario, il quale abbia dal medesimo il segreto del S. Ufizio; ed ocorrendo di riconoscere qual-

qualche Scrittura in detto Armadio, si debba fare da detto Ordinario, o dal suo Deputato come sopra.

6. Tutte le Scritture, o atti intorno alle Beatificazioni, e Canonizzazioni, e circa il culto, o non culto de' Servi di Dio, secondo le Istruzioni della Sacra Congregazione de' Riti.

7. Tutte le Scritture delle Ordinazioni, o Collazioni degli Ordini, tanto maggiori, quanto minori, a qualunque Persona.

8. Tutte le Scritture delle collazioni, o istituzioni de' Benefizzj, de' Concorsi fatti, delle Rinunzie, o Permutazioni seguite, e di tutti gli altri atti Beneficiali.

9. Le Scritture della Professione della Santa Fede, che si fa dalle Dignità, Canonici, e altri, secondo il Concilio di Trento.

10. Tutte le Bolle, e gli Strumenti delle Possessioni, date ai Benefiziati di qualunque ordine, o grado, e in qualunque modo.

11. Tutte le Scritture delle approvazioni de' Confessori, e Curati, anco Regolari.

12. Il Registro delle Patenti date di predicare nella Quaresima, e nell' Avvento, e dell'altre Licenze di predicare frà l' Anno, tanto a' Regolari, quanto ad Ecclesiastici Secolari.

13. Delle Licenze date a' Parrochi, o Canonici, Preti, e Cherici di poter partire dalla Dioceli con Lettere testimoniali.

14. Delle Dimissorie, o Lettere testimoniali, e commendatizie.

15. Delle Licenze date per andare a parlare, o entrare ne' Monasterj di Monache.

16. Tutte le Scritture dell' Esplorazioni delle volontà per le Novizie. Gli strumenti delle Doti delle Monache, siccome delle Licenze loro date di far Professione, e dell'altre cose attenenti alle Monache.

17. Tutti i Decreti, e interposizioni di autorità per le Rinunzie, che fanno i Novizzj, e le Novizie avanti la Professione.

18. I Decreti interposti nelle cause d' alienazione de' beni Ecclesiastici con autorità Ordinaria, o Apostolica.

19. Tutti i Precetti, e Decreti di qualsivoglia maniera, fatti a Persone Ecclesiastiche, o Secolari in cause spirituali, o spettanti al Foro Ecclesiastico.

20. Tutti gli Statuti, le Regole, e le Ordinazioni di qualunque Chiesa nelle Città, e Diocesi.

21. Le Scritture concernenti Fondazioni di Chiese, Luoghi Pij, Altari, e gli strumenti di tali Fondazioni.

22. Le Scritture delle Consecrazioni delle medesime Chiese, degli Altari, de' Cimiterj, e delle Campane, col registro in Libro.

23. Le Scritture sopra la concessione dell'Indulgenze, e circa l'esecuzione data a' Brevi Apostolici per le medesime Indulgenze.

24. Le Scritture dell'erezione del Fonte Battesimale, e delle fondazioni, unioni, e suppressioni delle Parrocchie, Benefizzj, o Cappellanie.

25. Tutte le Scritture spettanti a' Sacri Seminarj.

26. Gli atti di tutti i Sinodi.

27. Le Scritture concernenti la celebrazione de' Matrimonj, delle Dispense, delle Denunzie Matrimoniali, e gli atti degli Stati liberi.

28. Le Scritture concernenti materie di Divorzio, o di altre cause Matrimoniali.

29 Le Scritture concernenti l'esecuzioni delle Dispense Matrimoniali, e altre Lettere Apostoliche.

30. Tutti i registri delle Bolle ordinarie, e Apostoliche dirizzate alla Corte de' Vescovi.

31. Tutte le Lettere Monitoriali, *ad finem revelationis*, e gli atti di esse.

32. Le Scritture degl'Inventarj de' Beni stabili, Mobili, Semoventi &c. *in forma*, *saltem genericè* di tutte le Chiese, e di tutti i Luoghi Pij della Città, e Diocesi.

33. Tutti gli Editti fatti in qualunque modo, e in qualsisia materia, col registro di essi in un Libro.

34. Tutti i Processi, e atti civili, criminali, e misti del foro de' Vescovi.

35. Tutte le Sentenze fatte nelle suddette cause, e le composizioni seguite co' rei, e inquisiti nella Corte de' Vescovi.

36. Tutte le Scritture delle Multe, e pene, col registro di esse in un Libro.

37. Le Scritture delle supplicazioni, e assoluzioni.

38. Tut-

38. Tutte le Scritture rogate dal Notaro, o sia Cancelliere della Corte del Vescovo, o come Cancelliere di detta Corte.

III.

Scritture particolari da riporsi, e conservarsi in tutti gli Archivj de' Capitoli delle Chiese, Cattbedrali, e Collegiate, oltre alle sopraddette nel §. 1.

1. GLi Statuti particolari di detti Capitoli, e la conferma ottenuta dalla Santa Sede, o dall' Ordinario. E per le Chiese Collegiate, lo Strumento dell' erezione Apostolica.
2. Libro di atti Capitolari.

IV.

Scritture particolari da riporsi, e conservarsi nelle Chiese Parrocchiali oltre alle suddette nel §. 1.

1. L'Erezioni in Parrocchie.
2. Libri de' Battezzati, e Confermati, de' Matrimoni, e de' Morti: ne' quali si debbono fare da' Parrochi le descrizioni fedelmente, e nel modo dovuto.
3. Gli stati dell' Anime della Parrocchia.
4. Il Registro della riscossione delle annuali Decime, affinchè apparisca sempre la continuazione, o mutazione.

V.

Scritture particolari da riporsi, e conservarsi in tutti gli Archivj de' Monasteri, e Conventi Regolari oltre alle suddette nel §. 1.

1. L'Erezione, e fondazione del Monastero, o Convento, e la facoltà Apostolica ottenuta.
2. Il Libro dove si registri il giorno, il Mese, e l' anno dell' ingresso de' Novizzj, e la loro Professione ne' Monasterj, e Conventi, ove si ricevono Novizzi, e si fanno le Professioni.

3. Il

3. Il Libro dove si notino le filiazioni, e trasfiliazioni de' Regolari, Conventi, e Monasterj, ne' quali si fanno le dette filiazioni, e trasfiliazioni.

VI.

Scritture particolari da riporsi, e conservarsi in tutti gli Archivj de' Monasteri di Monache, e de' Conservatorj, oltre alle suddette nel §. 1.

1. LA Fondazione del Monastero, e il Decreto della Sacra Congregazione, o Breve Apostolico per la Clausura.
2. L' Esemplare delle Regole, e Statuti di esso Monastero.
3. Lo stato del Monastero, e la prefissione del numero delle Monache, e Converse, fatto dall' Ordinario, secondo il Sacro Concilio di Trento, con la Dote delle Monache numerarie.
4. Un Libro, nel quale si registri l' ingresso delle Novizie, e le Professioni delle medesime.
5. Le Professioni originali delle Monache, da conservarsi diligentemente.
6. Un Libro delle Risoluzioni Capitolari.

VII.

Scritture particolari da riporsi, e conservarsi negli Archivj delle Confraternite, oltre alle suddette del §. 1.

1. L'Erezioni, e approvazione delle Confraternite.
2. L'aggregazione, se vi è fatta, alle Archiconfraternite di Roma.
3. Gli Statuti particolari di esse Confraternite, e l' approvazione della Santa Sede, e dell' Ordinario, se vi è.
4. L'Indulgenze ottenute da dette Confraternite.
5. Il Libro delle Congregazioni, e risoluzioni, che si prendono nelle medesime.
6. Le suddette Intitolazioni si notino in tutte queste Scritture nella Scanzia, e nella parte esteriore delle medesime, per poterli trovare con ogni prestezza.

INDEX

INDEX CAPITUM.

I. *Archivorum Ecclesiasticorum necessitas.*
II. *Ex neglectis Ecclesiarii Archivis multa damna proveniunt.*
III. *Omnes Praesules Italiae Archiva intra sex menses construi curent.*
IV. *Universa Capitula idem curent.*
V. *Omnes Superiores Regulares, Collegia, & Loca Pia utriusque sexus idem curent.*
VI. *Catalogus Scripturarum conficiatur.*
